

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

... in ...

Faint, illegible text in the upper middle section.

... **S** ...

... in ...

... **S** ...

... **S** ...

... **S** ...

... **S** ...

... **H** ...




CE VIII

CE VIII

Gl. 94.





CE VIII

CE VIII

I

A

IA

po



Familiaë  
REGVM

IVDÆORVM:  
QVÆ ASMONEO-  
RVM ET CONDITORIS

ANTIPATRI NOMINIBVS CELE-  
bratæ, postremæ in gente illa regnârunt,  
& partim ad tertiam, partim ad  
quartam Monarchiam  
pertinent.

EDITÆ  
à

REINERO REINECCIO  
STEINHEMIO.



LIPSIÆ

Iohannes Rhamba excudebat.

---

M. D. LXXII.

IN VESTIBULO

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM

AD VESTIBULUM



IN FAMILIAS REGVM  
IVDÆORVM

A D

ILLVSTREM  
ET INCLYTVM  
DOMINVM, DN.  
HERMANNVM SIMONEM,  
Comitem Lippiensem & Spie-  
gelbergensem &c. Dominum  
clementissimum & studiorum  
Mecœnatem benignis.

PRÆFATIO

REINERI REINECCII  
STEINHEMII.



*H*feratum semper  
gentium cæterarum  
in Ebræos Israëlitas  
& Iudæos, hoc est,  
Dei opt. max. Ec-  
clesiam, fuisse odium reperimus. Quod

4 2

à reli-

PRÆFATIO.

à religionis & sacrorum ortum dissi-  
 diò atq; emulatione, primi ÆGYP-  
 TII ita exercuere, ut seruitute  
 grauissima oppressos, etiam interne-  
 cione delere sategerint. Ac tametsi &  
 Circumcisionis usum (vnde Φωλδς no-  
 minauit Aristophanes in fabula cui  
 nomen fecit Aues, vt ex interprete  
 retulit Suidas) & ritus quosdam ali-  
 os ab Israëlitis mutuatos, retinuerint,  
 beneuolentia tamē cum illis firma iun-  
 gi nunquam potuerunt. Cessere Ægy-  
 ptijs nulla parte, imperiorum illi con-  
 ditores primi ac uetustissimi, AS-  
 SYRII & CHALDÆI,  
 quorum illi decem tribus, hi Iudæos  
 & Beniamitas exilio uertere solum  
 coëgere. Cumq; leuasset calamitatem  
 istam regum Persicorum pietas, rur-  
 sus iniurias cumulârunt GRÆCI,  
 seu Macedones, & ROMANI.  
 Quan-



PRAEFATIO.

Quanquam principio utriq; nequaquam à Iudæis alieni fuerint. Etenim **ALEXANDER**, præterquam quòd **IADDO** Pontifice deprecante, gentem tractavit cumulatè & prolixè, etiam Iudæis militibus usus est. Id quod ita imitati sunt successores, reges Ægyptij & Syriaci **SELEUCIDÆ**, ut etiam in urbibus præcipuis ciues eos admiserint. Retuleruntq; de Iudaico Alexandri milite **MOSOLLAMO**, historiam cum primis memorabilem ex Hecatæo, Iosephus contra Apionem lib. 1. Eusebius de præparatione Evangel. lib. 9. cap. 2. (etsi nomen ei Mysonianus fecit) quæ quia auguriorum ostendit & taxat vanitatem, hinc eam subijcio: **Mosollamus**, inquit Iosephus, vir animosus, &

a 3

inter

P R A E F A T I O .

inter omnes sagittarios, Graecos & Barbaros, praecipuus, properantibus multis pariter, & quodam vate augurium captante, & petente, ut cuncti starent, interrogavit, cur substissent omnes. Ostendente vero ei vate avem, quam intuebatur, atq; dicente, quod, siquidem expediret eis, ut manerent omnes, staret avis: si vero surgens antea auolaret, procederent, si vero post tergum iret, recedere cunctos oporteret: rursus tacens, arcumq; trahens, sagittam emisit, & avem percussam

P R A E F A T I O .

cussam interemit. Indignan-  
 tibus verò vate & quibusdam  
 alijs, & maledicentibus ei:  
 Quid furitis, inquit, infaustis-  
 simam avem sumentes in ma-  
 nus? hæc enim suam salutem  
 nesciens, de nostro itinere nobis  
 prosperitatem potuit indicare?  
 Si enim præscire futura ua-  
 lisset, in hunc locum nequa-  
 quam uenisset, metuens ne sa-  
 gitta à Mosollamo Iudæo pe-  
 riret. Hactenus Iosephus. Singula-  
 riter etiam S P A R T A N I, Iu-  
 dæorum fratres ab A B R A H A-  
 M O, haberi uoluerunt: etsi de ea origi-  
 ne proditum nihil inuenimus, nisi quis  
 a 4 fortè

P R A E F A T I O .

fortè de Doriensium ex Ægypto propagine, quam aliqui tradidere, intelligendum putet. Nam commemorati isthic Israëlitæ à IOSEPHI Patriarchæ temporibus, & aucti progenie felicissima, tandem MOSE & IOSVA ducibus Chananeam repetuere. Primus autem è Macedonibus hostiliter in Iudæos egit PTOLEMÆVS Lagi: tametsi eam iniuriam beneficentia sua & liberalitate facilè compensauit Ptolemæus Philadelphus F. In Seleucidis tantum fani thesauros per Heliodorum tentauit SELEVCVS Φιλοπάτωρ, Antiochi Magni F. Quem secutus ANTIOCHVS ἐπιφανής adeò cum hoc facinus, tum cæterorum regum tyrannidem superauit, vt præter seruitutem acerbissimam, qua gentem totam afflixit, etiam religionem Iudæorum

P R A E F A T I O .

dæorum extirpare conatus fuerit, ma-  
 etatis per crudelissima supplicia ijs,  
 qui deficere ab ea nollent. Cùmq; sub-  
 sidij tum adhuc Iudæis aliquid in Ro-  
 manis esset, & A S M O N A E I  
 audendo non minus piè quàm fortiter,  
 istam acerbitatis seuitiam ita depu-  
 lissent, vt Seleucidis hostes graues  
 essent, eosq; cladibus ingentibus affi-  
 cerent, credibile est, Græcorum ma-  
 litia, qui eam protectionis diuinæ fe-  
 licitatem Iudæis inuiderent, & exter-  
 minata idola sua dolerent, excogita-  
 tum figmentum de culto ab his asini  
 capite aureo. Nam inter calumnias  
 Apionis hanc etiam memorat Iose-  
 phus. Et explicat eadem de re his uer-  
 bis è Democrito quodam Suidas :

Democritus historicus scribit,  
 Iudæos aureum asini caput

a 5      ado=

## P R A E F A T I O .

adorare, & tertio quoq<sup>3</sup> anno  
 hospitem captum illi immola-  
 re, carnibus minutatim incis  
 eum interficientes &c. Nec  
 tamen diuturna ista Iudæis apud Ro-  
 manos gratia fuit. Nam ut Crassi,  
 Cassij, Sosij præteream rapinas, me-  
 minit de AVGVSTO Cesare  
 Suetonius, laudatum ab eo Caium  
 nepotem, quòd Hierosolymis non sa-  
 crificasset. Et de TIBERIO ad-  
 didit, Aegyptios & Iudaicos ritus  
 ipsum compescuisse, coactis, qui super-  
 stitione ea tenerentur, religiosas ve-  
 stes cum instrumento omni combure-  
 re: adhæc Iudæorum iuventutem per  
 speciem sacramenti in prouincias  
 grauioris cæli distribuisse, reliquos  
 gentis eiusdem, uel similia sectantes,  
 Vrbe submouisse, sub pœna perpetuæ  
 seruitu-

P R A E F A T I O .

seruitutis, nisi obtemperassent. Quid?  
 quòd P I L A T V S , qui ad crucis  
 supplicium damnârat C H R I -  
 S T V M , templum iterum profa-  
 nauit? Ac creuere ita iniuriæ sub  
 C A L I G V L A , C L A V -  
 D I O , N E R O N E , vt gens  
 per rebellionem arma capere ausa , oc-  
 casione ea ferè excisa fuerit à T .  
 V E S P A S I A N O : &  
 A D R I A N V S iterum edomi-  
 tam etiam aditu Hierosolymorum  
 arcuerit , vrbe colonis Ethnicis con-  
 cessa , & in fronte portæ , qua Betle-  
 hem itur , sue in marmore sculpto .  
 Quanquam haud præterit nos , has  
 posteriorum temporum calamitates ,  
 saluificæ Euangelyj doctrinæ de Filio  
 Dei contemptæ pœnam extitisse , cum  
 veluti executoribus iustitiæ suæ Deus  
 vteretur Romanis . Quod tamen ne-  
 quaquam

PRAEFATIO.

quaquam causas in his propinquiores tollit: Quippe qui & Christianis propter Iudaeos initiò infestiores essent, & nomine horum eos complecterentur, quoad distinctius separaret Adrianus. Et pertinent huc acerbissimæ et passim obuiæ in Romanis scriptoribus in Iudaeos, & religionem horum omnem, insectationes: de quibus qui volet, legat Iuvenalem Sat. 14. Plutarchum de Superstitione. Horatius etiam circumcisionem exagitant, Iudaeos nunc curtos nunc apellas vocat. Nec dubitarunt Florus & Apuleius etiam impietatis & superstitionis eos traducere: quibus cum conuenit Lucanus lib: 2.

Dedita sacris

Incerti Iudæa Dei, &c.

Quin & Cicero tam insolenter quàm  
malis



P R A E F A T I O .

malitiosè gentem despiciendo , seruitutinatam, ait, & religionem superstitionem barbaram nuncupat. In quam sententiam plura inuenias apud Tacitum lib: 21.

Hæc si quis diligenter cum animo suo considerauerit, cum de alijs multis moneri vtiliter poterit, tum causas intelliget, cur de Iudaica historia profanorum autorum monumentis tradita tantopere ab ijs discrepent, quæ sacra Bibliorum prodidit scriptura. Fieri enim hoc quadam ingenij humani malitiosa videmus peruersitate, vt qui etiam è bonis & innocentibus in odio sunt, tractentur inclementius. Quanquam ipsa quoq; Biblia in Græcam linguam translata serius, constat. Ac quàm adeò infeliciter Theopompo historico & Polydectæ Poëtæ legem sacram attingere ausis, cessarit, è Iosepho

PRAEFATIO.

è Iosepho notum est. Vt verisimile fiat, quaedam scriptorum audacia curiosa in initio de Iudæis pleraque temerè conficta: quæ cum accuratiore lectione & peruestigatione corrigi facile potuissent, tamen posteritatis malevolentia retinuerit. Hinc enim sunt mirificæ illæ diuersissimæque de Iudæorum origine, deque Mose ipso, opiniones Strabonis, Galeni, Taciti, Iustini, de quibus id nos scire & credere sufficit, ut verbo vno dicam, falsas esse omnes. Interea tamen de eo regno, quod conditum ab *ASMONÆIS*, & translatum rerum commutatione in *ANTIPATRI* domum, postremum Iudæi habuerunt, laus non minima Græcis & Romanis debetur scriptoribus. Ac sanè interest ad intelligendos hosce plurimum, utramque familiam rectè & probè habere cognitam.

Siquidem

P R A E F A T I O .

Siquidem fermè omnes, qui in ætatem istam incidere, aut etiam hanc paulò inferius secuti sunt, historiam illam attingunt. Ut ne iam commemorando inculcem, quæ lux sacræ Bibliorum lectioni inde accedat. Quemadmodum enim Asmonæorum initia exponunt Maccabæorum libri, ita de Herode eiusq; filijs & posteris multa habent Evangelicæ expositiones.

Quia autem lectio eiusmodi neq; tractari ab omnibus æquè feliciter consuevit, & minus attentos effugere possunt, quæ deinde erroris vel dubij aliquid pariunt, operæ precium facere existimãdi, qui studium ad argumentum hoc illustrandum atq; diligentiam afferunt. Qua parte etsi eruditorum sententijs commendari mirificè memineram felicis industriæ operam reuerendi & clariss. viri, D. PAVLI  
EBERI,

P R A E F A T I O .

E B E R I , multumq; debeamus  
 Chronico Philippi Melancthonis &  
 Historiae sacrae Georgij Fabricij , ta-  
 men quia improbari nequaquam solet,  
 in re eadem diuersos elaborare , & id  
 genus scriptorum , nostrum quasi pecu-  
 liare sit , neq; quae ipsi hinc inde excer-  
 pta collegissemus , occultando inuidere  
 alijs. Voluimus. Quippe quae autoribus  
 tam sacris quam profanis legendis ,  
 seruire vtiliter queant , quod fortè  
 vnum desiderari in alijs alicubi pote-  
 rat. Certè sententias contulimus  
 omnium , hac tamen adhibita necessa-  
 ria cautione , vt normam retineremus  
 literas sacras & Iosephum , & qui in-  
 de exorbitarunt , eos vel reijciendo  
 vel circumstantia aliqua conciliando ,  
 huc reduceremus. Etsi neq; Iosephus  
 per errorem nunquam labitur : & o-  
 mnium deprauatissima est Eusebij  
 Chronologia.

PRAEFATIO.

Chronologia. Nam de Cedreno, & farine eiusdem scriptoribus, quid dicere attinet? Quandoquidem is ceteroquin plura ferè τάδεγεγὰ quam εἴγεγε habeat, ac tametsi neq; sua utilitate & commendatione caret, tamen pars narrationum præcipua eiusmodi est, quæ diligentiam absq; iudicio ostendat, adeoq; fide careat.

Cæterum cogitanti mihi de provincie tutela, quæ pro more commentario nostro adiungeretur, illustris & inclyte Comes, Domine clementiss. ab Excelsitate T. expectare eam potissimum cœpi, quòd quam fortunæ munere, quæ est Dei opt. max. largæ munificentia, collatam possideret generis splendidissimi, ac rerum gestarum memoria famaq; celebratissimi amplitudinem, ornare etiam dignis ordine eo virtutibus nunquam desisteret: Ut

b

nempe

## P R A E F A T I O.

nempè cum autoritate occurreretur  
ijs, quibus in seculi huius licentia ni-  
mis procliue est, temerè quæuis car-  
pere. Nam euoluendo annales, quæq;  
alia eruditorum diligentia reliquit  
monumenta, quot, quamq; illustres of-  
ferunt sese domus Lippiensis imagi-  
ne? Quippe quæ iam inde à C A-  
R O L I M A G N I temporibus in  
Vestualorum Saxonum nobilitate  
illa primaria, quæ nobilium Do-  
minorum appellata nomine, etiam  
Reges dare genti nostræ belli tempo-  
ribus consuevit, & post, inauguran-  
tis Francisc, Comitum assumsit titu-  
lum, loco & munere semper illustri  
floruerit. Quod tantum maiorum de-  
cus tueri Excels. T. ita nouimus, vt  
cùm populum subiectum moderatione,  
iustitia et religionis synceræ cura exi-  
mia regat, etiam in pietatis & bona-  
rum

P R A E F A T I O .

rum artium studijs iuuandis , vtpote  
 in quibus ipsa quoq; erudita praecela-  
 rissimè sit, voluntatis propensione cle-  
 mentiss. esse cognoscatur. Accedebat  
 huc, quod institutum nostrum non mi-  
 nus confirmaret, quàm vrgendo im-  
 pelleret, quòd memineram saepè Pade-  
 borniæ diœcesi nostræ Episcopos le-  
 ctissimos ex inclytis Lippiensibus Co-  
 mitibus praefuisse. Et sicuti patria  
 mea illustribus horum beneficijs orna-  
 ta esset, ita me debere ideò magis in-  
 telligebam, quòd in ludo Lemgouensi  
 prima horum studiorum fundamenta  
 posuissem. Quocirca eam subiecti ani-  
 mi testificationem nostram Excels. T.  
 in partem bonam accipiat: studijs no-  
 stris patrocinium de se benignum praes-  
 tet & expectatum, qua debeo subie-  
 ctione rogo. Mibi vt in referenda  
 gratia facultas, ita in habenda atq;

P R A E F A T I O.

prædicanda voluntas nunquam deerit. Nec calcar destinatae operæ nostræ, ad colligendas illustres familias, addet postremum vel potius in primis maximum, sineq; Excels. T. improbari labores nostros cognouerimus. Quod cum ipse vtilitatum, quæ ad historiæ lectionem inde redeunt multifariæ, respectus de Excels. T. polliceri videatur, addere iam alterum etiam dignabitur, ut autoritatem atq; opem clementem adiungat. Nam vt hac parte laboratum hæctenus fuerit, quàm paucos ista cura attigerit, obticescendo præterire, quàm querendo inculcare odiosius, maluimus. Excels.

T. benè & feliciter valeat.

Lipsia M. Augusti.

D. XIII.

clb. Ib. LXXII.



# AVTORES,

E QVORVM MO-

NVMENTIS IVDAICAM

hanc historiam con-

texuimus.

Aelianus	Galenus
Appianus	
Apuleius	Hecataeus
Athenæus	Hieronimus
Augustinus	Historia sacra Fa-
Biblia	bricij
	Horatius
Cedrenus	
Chronicon Phi-	Ioannes Zetzes
lippi	Iosephus
Cicero	Iulius Africanus
	Iustinus
Democritus histo-	Iuuenalis
ricus	
Diodorus	Libri Maccabeorum
Dion	Lucanus
Egesippus	Lucas Euangelista
Eusebij chrono-	Lucianus
logia	
Eutropius	Marcus } Euange-
	Matthæus } listæ
Florus	
	b 3 Nicepho-

Nicephorus  
Nicolaus Dama-  
scenus

Orosius  
Ouidius

Pauli Eberi epito-  
me historię Iudaicę  
Philo

Plutarchus

Quintilianus

Sebastianus Ca-  
statio

Sigismundus Ge-  
lenius

Stephanus  
Strabo

Suetonius

Suidas

Sulpitius Seuerus

Tacitus

Valerius  
Victor

Zonaras.

¶ De loco pag. 33. vbi agitur de familia IOSEPHI  
historici, commonendum hęc lectorem obiter cen-  
suimus, erratū in eo ab exscriptore geminum com-  
missum, nos etiam cū primò chartas relegeremus,  
effugisse. Igitur hic ita restituatur: Filia colloca-  
ta cuidam Matthiæ Aphliæ edidit Matthiam Cur-  
tum, proauum Iosephi historici, &c. Nam  
eam familiæ suę propaginem tra-  
didit autor ille in vita  
à se conscripta.



Sigismundus

SI

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

I  
R  
T  
b  
c  
I  
te  
ti



ft  
fu



DE IVDÆO-  
RVM TRADITA  
TAM A SCRIPTORI-  
bus profanis, quam literarū sa-  
crarum monumentis, origine &  
Imperijs: de regni, quod in gen-  
te illa postremum extitit, et par-  
tim in tertiam, partim in quar-  
tam monarchiam incidit, fas-  
milijs, & quæ harum pris-  
mordia, quæ propa-  
gatio, quis in-  
teritus.



Vanquam ex es-  
uidentibus & firmis-  
simis sanctæ scripturæ  
testimonijs certa est  
gentis Iudaicæ origo,  
tamē & aliorum scri-  
ptorum paucis perue-  
stigare sententias atq; enodare, visum  
fuit. Cùm fieri hoc de Dialecticorum  
A præcep-

præceptione utilissima soleat, vt contrariorū consideratione res fiat dilucidior & planior. Ac principiò quidē Dion solus dubitare se ait, quod nominis Iudæorum fuerit principium, id simul subijciendo, postea temporis alios quoq̃, qui secundū statuta eorum viuerent, hoc gefisse, etsi alienigenæ essent. Quintilianus infamiæ labem aspergere Iudæorū origini videtur: Et parentes, inquit, maiorum odimus, & est cōditoribus vrbiū infame, contraxisse aliquā perniciosam cæteris gentem, qualis est primus Iudaicæ superstitionis autor &c. Reliqui, qui in argumento hoc explicando versati sunt, tribus potissimū discrepare opinionibus inueniuntur. Nam alij Aegyptios Iudæos faciunt, alij Cretenses, alij Damascenos. Primā tuentur præcipuè Diodorus & Strabo, & ille quidem breuiter, hic verbosius, ita vt exemplis similibus facere sibi fidē conetur: Fama, inquit, quæ plurimum obtinet de rebus creditis circa Hierosolymorum templum, asserit Aegyptios

3

gyptios fuisse eorum progeni-  
tores, qui nūc Iudæi appellātur.  
Nam M. O S E S, vnus ex Aegy-  
ptijs sacerdotibus, cū partem  
quandā regionis haberet, ac mo-  
lestè ferret eorū instituta, hinc  
eò cōmigravit. Discessere cum  
eo multi, quibus diuinā curæ e-  
rant. Docebat enim ille, quomo-  
do Aegyptij nō rectè sentirent,  
qui ferarum ac pecorum imagi-  
nes Deo tribuerent, nec Libyes  
nec Græci, qui Deos hominum  
figuris insignirēt. Et quòd id so-  
lum Deus esset, quod nos conti-  
neret, terram ac mare, quod cœ-  
lum & mundum & rerū omni-  
um naturā appellamus, cuius p-  
fectò imaginē nemo sanæ men-  
tis nostræ similē audeat effin-  
gere. Oportere itaq; relicta om-

A 2 ni

ni simulacrorum effigie, & digno ei fano ac templo cōstituto, sine forma colere &c. Et paulò post: Diuinatores in precio erant, vt etiam imperio digni iudicarentur, vt qui diuina nobis præcepta ac documenta ederent & viuiet mortui, quem admodum Tiresias,

*Cui dederat vita functo Proserpina mentē (ret.  
Ut saperet, pariterq, homines leuis umbra iuuat*

Talis fuit Amphiaraus & Trophonius, & Orpheus, & Musæus, & Getarum Deus, Zalmolxis Pythagoreus, ætate nostra Decineus, qui Byrebistæ respondit, & apud Bosporanos Achaicarus, apud Indos Gymnosophistæ, apud Persas Magi, & qui Necyomantici & Lecanomanantici & Hydromantici appellantur



5

pellantur, apud Assyrios Chal-  
dæi, apud Romanos Hetruriæ  
aruspices. Talis erat Moses, &  
successores eius: qui cùm initia  
non mala habuissent, postea in  
deterius delapsi sunt. Hactenus  
Strabo. Altera apud Tacitum extat  
annal. lib. 21. tametsi plures aliæ ibi mi-  
scentur: ideò & hunc locum subijcio:  
Iudæos, inquit, Creta insula pro-  
fugos, nouissima Libyæ insedis-  
se memorant, qua tempestate  
Saturnus, vi Iouis pulsus, cesse-  
rit regnis. Argumentum è no-  
mine petitur. Inclytum in Cre-  
ta Idam montem, accolas Idæ-  
os, aucto in barbarum cogno-  
mento, Iudæos vocitari, quasi  
Idæos. Quidam regnante Iside,  
exundantem per Aegyptū mul-  
titudinem ducibus Hierosoly-

A 3 mo

mo ac Iuda proximas in terras  
 exoneratam. Plæriqꝫ Aethioꝝ  
 pum prolē, quos rege Cepheo  
 metus atqꝫ odium mutare sedes  
 perpulerit, Sunt qui tradant Af-  
 syrios conuenas, indigum agroꝝ  
 rum populum, parte Aegypti  
 potitos, ac mox proprias vrbes  
 Ebræasqꝫ terras, & propiora  
 Syriæ coluisse. Clara aliꝫ Iudæoꝝ  
 rum initia: Solymos, carminibꝫ  
 bus Homeri celebratam gen-  
 tem, conditæ vrbi Hierosoly-  
 mam nomen è suo fecisse. Pluri-  
 mi autores consentiunt, orta per  
 Aegyptum tabe, quæ corpora  
 fœdaret, regem Bocchorim adis-  
 to Ammonis oraculo, remedii  
 impetentem purgare regnum,  
 & id genus hominum vt inuis-  
 sum Deis, alias in terras auertere  
 iussum.

iussum. Sic conquistum collectumque vulgus, postquam vastis locis relictum sit, cæteris per lacrymas torpentibus, Mosen vnum exulum, monuisse, nequam Deorum hominumue opem expectarent, ab vtrisque deserti, sed sibimet duci cœlesti crederent, primo cuius auxilio credentes, præsentis miserias pepulissent. Assensere, atque omnium ignari fortuitum iter incipiunt. Sed nihil æquè quàm inopia aquæ fatigabat. Iamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, coniectura herbidi foli largas aquarum venas aperit. Id leuamen, & continuum

A 4 sex

sex dierum iter emensi, septimo  
 pulsis cultoribus, obtinuerunt ter-  
 ras, in quibus vrbs & templum  
 dicata sunt &c. Tertia est Iustini,  
 qui Damascum regem facit: Ei successo-  
 res subiungit Iudam & Ioseph, filios, &  
 ab illo, ante patrem defuncto, nomen  
 Iudæorum profectum, opinatur. Nam  
 Ioseph venditum in Aegyptum, & regi  
 artium Magicarum scientia percarum  
 factum, ait: quas cum deinde & Moses  
 F. coleret, ab Aegyptijs, qui scabiem &  
 pruriginem paterentur, cum agris ora-  
 culi monitu eiectum, Damascenam pa-  
 triam antiquam repetiuisse, & gentem  
 sacraque Iudæorum condidisse, astringit. Ac  
 videtur ad hanc Iustini sententiam al-  
 luisse Alexander Polyhistor apud Ste-  
 phanum, qui Iudæorum conditores no-  
 minat Iudam & Idumæam, filios Semi-  
 ramidis. Etsi ibidem alia quoque è Clau-  
 dio Iolao nominis huius notio attexitur  
 à Iudæo, Sparthonis & Thebes filio. Quæ  
 fabula, haud scio, an non originem dede-  
 rit commento, quod Spartani pro fratrib.  
 haberi à Iudæis voluere, atque Abrahami  
 & ipsi genus iactarunt, ut meminit Io-  
 sephus

9

sephus. Etenim inter reginas ciuitatis huius Eusebus Sparten nominat, & vrbis Spartæ denominationem inde deducit.

Sed hæc neq; inter se consentientia, & alienissima ab ea veritatis euidencia & certitudine, quam tradidere sacrarum literarum monumenta, vt vanitatem stultam ita malitiam quoq; atq; odium gentilium in Iudæos ingens testificantur. Neq; opus est, pluribus vt refutentur: & quæ singulariter figmento de origine Aegyptia opponi possint, legantur exposita prolixius apud Iosephum contra Apionem Grammaticum. Cùm quidem verisimile in primis sit, ab Aegyptijs potissimum talia profecta: de quorum cum Iudæis æmulatione alibi plura diximus. Et tendunt isthuc omnia, vt Iudæorum infametur, atq; in dubiū vocetur, religio. Vnde est, quòd de Mose, quo administro gentis illius politiam Deus opt. max. constituerat, tam nugatoria quàm impia, Ethnicorum petulantia sparserit. Quæ breuiter perstringendo hîc monuisse, sufficiat. Reliquum iam est, vt certius aliquid de Iudæorum origine è certioribus itidem & liquidioribus sanctæ scripturæ fontibus afferamus. Quibus erudimur, gentem illam propa-

A 5      ginem

ginem Chaldæorum esse. Nam Arphaxado (is Chaldæos condidit) genitus a uo **E B E R**, Ebræis ortum dedit. De quo tamen nomine neq; illud prætereundum, quod aliqui scripserunt, nimirum tributum fuisse in extraneis ijs etiam, qui ab Eber traditam cœlestem doctrinam amplecterentur, & Ecclesiæ eius se adiungerent. Neq; audiendus hîc Stephanus, qui è Charace historico, Ebræos ad Abrabonem quendam conditorem refert. Nam **A B R A H A M V S**, ad cuius nomen alluditur, Ebræus ipse progenie ab Eber sextus fuit. Huius ex **I S A A C O** filio nepotes Esau, cognomento **E D O M**, & Iacobus, cognomento **I S R A E L**, iterum nominum & gentium nouarum autores extitere. Nam ab Esau sunt **I D V M A E I**, à Iacobo **I S R A E L I T A E**, de cognominibus videlicet vtriusq; ita nuncupati. Atq; de Iudæis expositionem hîc nostram ut abrumpamus, in Isrælitis iterum conditores diuersi nominum etiam & tribuum diuersarum discrimina inuexere. Maximè tamen florere **I V D A E I** & **E P H R A I M I T A E**. Illorum potentia diuturnior, horum clarior atq; illustrior extitit, cum quidem & regno ipforum  
 appel<sup>a</sup>

appellatio Israëlitarum vsitatior esset. Quocirca postmodo Iudæis è Chaldæa dimissis à CYRO, & tribuum cæterarum Israëlitis, quos cum Ephraimitis abductos collocârat in Media & Perside SALMANASSAR Assyrius, reditum in patriam tædio migrationum & periculorum nouorum detrectantibus, vt meminit Iosephus, præualuit celebritate & amplitudine Iudæorum nomen, ita vt iam communiter de Israëlitis omnibus vsurparetur. Estq; inde, quòd cum Israëlitas Græcorum scripta ignorent, Iudæos nunquam non inculcent. Nec prætereuntur Ebræi, & lingua Ebræa, hoc est Iudaica, quam & sanctam appellamus. De qua denominatione quoniam extat ratio exposita illustris apud Cedrenum, locum eum adiicio: **Aiunt**, inquit, **sol**um Eberum, Phaleci patrem, in substructionem turris non consensisse, itaq; etiam reliquorum linguis confusis Eberi sermo integer permansit. Ea est lingua, qua Adamus vsus fuit: & ab

& ab hoc posterius se gentilitio nomine Ebræos, ac linguam Ebraicam nominauerunt.

Imperia Iudæorum, repetens do ea à conditoribus Ebræis & ABRAMO, gentis principe, initiò paterna fuisse reperimus, regentibus scilicet suas parentibus familias. Hæc libertas etiam in Chananæis conseruata, primùm Iacobi in Aegyptum migratione cessat. Nam Aegyptij immemores beneficiorum, quæ accepissent planè diuina à IOSEPHO, seruitute Israëlitas acerba multârunt, conati etiam cæde masculorum nefaria gentem totam excindere. Quod tametsi indignè ferentes EPHRAIMITÆ, Chananæam populabundi inuasere, tamen cum clade repelluntur, & pari cum reliquis viuere conditione vsq; ad tēpora MOSES, coguntur. Is auctoritate diuina dux miserè afflictis præpositus, Aegyptijs ostentis multis dimissionem extorquet; politiam & religionis ritus, itidem acceptos diuinitus, nouam condit. Cumq; sub IOSUA, qui post Mosē imperium occepit, Chananæam Israëlitæ edomuisent, parent



rent deinde in reipublicæ statu Aristocratico I V D I C I B V S : quod nomen phrasi Ebræa exprimit Principes, duces. In his postremo S A M S O N E capto & exoculato à Palestinis, hostibus Israëliticæ gentis ἀσπρόνδρις, fuit cum summa potestate H E L I S, Pontifex. Max. oriundus ab Ithamaro, filio Aaronis natu minimo. Eius successor S A M V E L Propheta ob filiorum flagitia à populo exautoratus, de mandato diuino R E G E M primum creat S A V L V M. Quod quidem est in gente hac genus imperij tertium. Nec tamen salua dignitas ista, ob numinis cœlestis offensam, Saulo fuit, & cedit ab interitu eius regnum D A V I D I, quem adolescentulum S A M V E L inunxerat. Huius è Salomone filio nepos R O B O A M V S, cum stultè à se populum alienasset, mutationi iterum & regno nouo causam præbet, Quod autore I E R O B O A M O in Ephraimitis, quibus adiunctæ essent tribus aliæ nouem, conditum, solum deinde I S R A E L I T I C V M, & ab vrbe regia Samaritanum, appellatum fuit. Nam alterum familiæ Dauidis à subiecta tribu Iudæ, cui soli adhærerent B E N I A M I T Æ, nomen ὁμώνυμον retinuit. Ac certatum fuit inter regna ista odiorum contentionibus

nibus sempiternis atq; grauissimis : id quod passim sanctorum vatum ostendunt monumenta : nec nisi cum excidio vtrorumq; consopiri illæ potuere. Primum enim Israëliticum destruxere reges Assyrij, & tribus illas decem ad perpetua exilia deportârunt. Alterum Iudaicum tentatum infeliciter à SENNACHERIBO, & ab infestioribus hostibus Babylonijs vexatum, aboleuit tandem NABOCHODONOSOR Magnus, Iudæis ipsis in Babyloniam abductis. Qui post decursum 70. annorum spatiū, quod exilij tēpus definierant Ieremię vaticinia, humanissimo CYRI Magni edicto patriæ redditi, & ab ARTAXERXE Longimano fanū & vrbis munitiones inchoatas absolueri permisi, reguntur deinde à DVICIBVS, è posteritate Dauidis, sed qui Persarum regibus parērent. Vnde cū potentia hi non magna essent, præualuit paulatim Pontificum autoritas. E quibus etsi IADDVS genti immunitatem impetrauit ab ALEXANDRO Magno, occupantur tamen postea Hierosolyma à PTOLEMÆO Lagi, & retinent etiā posteri huius Iudæos vectigales vsq; ad ANTIQVVM Magnum. Is gente hac vsus beneuolè, hoc effecit, vt Pontifices,  
iam

iam patrię tyrannidē affectātes, pòst ANA  
 TIOCHVM Epiphanē F. attraherent, eiq; se,  
 abdicato Ptolemæorū imperio, subijce-  
 rent. Quæ res vt exitium ipsis, & genti  
 toti clades innumeras attulit, ita regno  
 nouo initium dedit. Cùm enim sceleratè  
 impius Tyrannus non contentus impe-  
 rio, etiam religionem abolitam extirpa-  
 re conaretur, è sacerdotum ordine M A-  
 TATHIAS quidam se illi opponit, & fi-  
 lijs ad institutum idem vrgendum autor  
 fit. Ab his præclarissimarum victoria-  
 rum successu partum principatum, au-  
 gent mox adiectionibus varijs posteri, &  
 tandem ARISTOBVLVS φιλέλλην in re-  
 gnum commutat. De quo regno, quod in  
 Iudæis postremum fuit, & familia in eo  
 gemina, institutam iam expositionem  
 pertexo.

Cognominauit autem Iose-  
 phus MATATHIA editam progeniem  
 ASSAMONÆOS. Id nomen aliqui inter-  
 pretantur posteros Simeonis: quippe  
 quem auum Matathias habuerit: Cùm  
 Iosephus & Zonaras Simeonem Assa-  
 monæo patre genitum, velint. A quibus  
 iterum varians Eusebius, Matathiæ pa-  
 trem Assamonæum attribuit. Sed propi-  
 or vero est eorum coniectura, qui à dig-  
 nitate

nitate profectum censent , vt sit Aegy-  
 ptium H A S M O N A I , magnates, princi-  
 pes: eritq; ita scriptura eius, Asmonæi,  
 omissa post primam syllabam à litera.  
 Originem familiæ sunt, qui deducant è  
 tribu Dania. Hoc mirari eo magis libet,  
 quòd sacerdotem Matathiam fateantur  
 omnes, quos sacerdotes tantùm è Leuis  
 profapia legi solitos, è sacrarum litera-  
 rum indubitata veritate planum fit.  
 Quocirca cum Maccabæorum libris As-  
 monæos propagamus à P H I N E E , filio  
 Eleazari, nepote Aaronis. Vt etiam sum-  
 mi sacerdotij dignitas ceu postliminio  
 ad familiam redijisse, videri possit. Nam  
 receperat hoc per Mosen numen cœleste  
 Phinei, cùm ille pia quadam accensus in-  
 dignatione, popularis sui turpitudinem  
 nefariam vindicâisset publicè. Sunt au-  
 tem tam de stirpis propagatione, quàm  
 de rebus gestis liquida omnia ex Iose-  
 pho, à quo & Maccabæorum libros con-  
 scriptos, opinatur D. Hieronymus. In  
 Eusebij Chronologia de Iuda Macca-  
 bæo & Ionatha fratre hic error occur-  
 rit, quòd illi post A L C I M I mortem  
 Pontificatum fauore omnium delatum,  
 hunc verò, mox eiecto Bacchide, susce-  
 pisse eundem ait. Id enim vtrumq; pla-  
 nissimæ

nissimæ refellunt Iosephi expositiones. Quamquam hæ ipsæ etiam modicè variant de historia filiorum Simonis: neque enim occisos, sed captos indicant. Ac sanè Eusebij, quam diximus, Chronologia, vt alibi passim, ita in hac etiam historia deprauatior cognoscitur. Etenim **A R I S T O B U L V M**, qui primus se regem appellare ausus fuit, Ionatha patre genitum affirmat. Quo haud minus labendo hallucinatus de **A L E X A N D R O** Ianneo Sulpitius Seuerus, Ionathæ hunc filium attribuit. Neque nihil est, quod in Strabone & Orofio desideres, quorum ille eundem Alexandrum Ianneum, hic Aristobulum, deiecto fratre Hyrcano, primum apud Iudæos regnasse, asserunt. Quæ noua & discrepante sententia conuellens Dion, regiam & sacerdotalem dignitatem planè confundit. Hæc enim eius verba sunt lib. 37. Regi nomen summi Pontificis apud Iudæos est. Et sequitur eandem opinionem Iustinus lib. 36. Semper, inquit, hic mos apud Iudæos fuit, vt eosdem & reges & sacerdos

**B**                    **tes**

tes haberent. Sed ab his, nixi certiorū testimoniorum autoritate, discedimus. Et culpandus præ cæteris Iustinus, quod à filio Mofæ, quē fabulosè ARVAM nominat, institutū item fabulosum, de coniuncta scilicet cum regia sacerdotali dignitate, profectū, ait. Finijt Asmonæorum regnum ANTIGONVS, filius Aristobuli, nepos ALEXANDRI Iannei. Hic enim cū inhumaniter reiectus à Cæsare Dictatore, quadam vindictæ cupiditate per Parthos, qui Syriam tūm obtinerent, reditum confecisset, & Hyrcano Pontifice hosti tradito, HERODEM fugasset, à deò hoc facinore Romanos exacerbavit, vt hostis ipse, Herodes REX pronunciaretur. Qui vt hanc dignitatem retineret, & Antigonum tolli ab Antonio curavit, & fraude Aristobulo affine sublato, Hyrcanum profocerum, qui iam solus ex Asmonæorum mascula profapia superasset, per calumniam oppressum necavit, itaq; familiam nobilissimam à stirpe excidit. Tamen Philo & Eusebius de Aristobulo hoc postremo & MARIAMME sorore dissentientes, non auum sed patrem vtriq; Hyrcanum attribuunt: consentitq; de Aristobulo singulariter Nicephorus. Id quod astrui falsis-

falsissimè, satis nos Iosephi addocet historia. Quamquam neq; hic de morte Mafiammes sibi constat, quod lectione quam indicatione nostra cognosci satis fuerit.

Præest igitur secundo loco rebus Iudaicis HERODIS familia, alienigena prorsus, & hætenus seruire Iudæis solita. Fuit enim ex Idumæis: quos conditos ab Esau, fratre Iacobi, supra ostendimus. Ac tametsi regnum ipsi quoq; liberum habuere, tamen debellati a DAVIDE rege, & defectionem per ADADVM, hominem stirpis regiae, & ad populares remissum a SESACO Aegypcio, frustra sub SALOMONÈ moliti, vestigales Iudæis mansere vsq; ad IORAMVM, filium Iosaphati. In hoc tempore arma iterum capere ausi, libertatem exinde & reges suos inter fortunam variam retinere, & exulantibus Iudæis in Babylone haud paucas vrbes ademere. Quibus cedere regio DARIi edicto iussi, fide dubia amicitiam cum eis colunt, hostes tamen sæpius, quam amicos se declarantes. Ideo bello acri oppugnantur tandem a IOANNE Hyrcano, & victi, Circumcisionem quoq; recipere coguntur

tur. Vnde iam planè familiares Iudæis esse cœperunt : & in aulam admissi , etiam ad regnum aditum sibi aperuere , constituto primum ANTIPATRO Iudææ PROCURATORE à Iulio Cæsare , & HERODIF. regia dignitate concessa ab Antonio & Augusto. Explicatur autem de primordijs familiæ huius discrepantibus autorum sententijs. Nam vt ne id iam attingam, quòd Nicolaus Damascenus Herodem, quem mendacio isto demereri studeret , è Iudæorum nobilissimis propagauit, qui Babylone reuertentur, Iosephus quidem ANTIPATRO patrem Antipam attribuit, sed de generis ortu secum ipse pugnans, alibi plebeium facit, alibi nobilitate & opibus gentis suæ principem vocat. Eusebius verò è Iulio Africano patrem Antipatro non Antipam, sed Herodem Ascalonitam, hominem conditionis infimæ, fuisse asserit. Quam eandem sententiam præter Zezem etiam Cedrenus his verbis tradidit: Fuit Antipater filius cuiusdam Herodis, inter ædituos censi, & eos, qui ibi Apollinis fano inseruiunt, Atq; hunc pue-



puerum quondam Idumæi præ-  
dones rapuerant, spe pro ipsius  
missione mercedis accipiendæ:  
sed quia pater erat pauperris-  
mus, Antipater apud ipsos ser-  
uus remansit, ipsorumq; moris  
bus institutus est. Hactenus Cedre-  
nus. Verum enim uerò merito hîc Iose-  
phi præfertur autoritas, Quippe quem  
præstitisse etiam de se, quod sæpius poli-  
cetur, hoc est, maximè vera tradidisse,  
dubium nullum est. Atq; vt plebeium  
Antipatri genus non inficior, ita tamen  
haud prorsus ignobilem fuisse credide-  
rim, vt consentaneum uero sit, patris di-  
gnitate primùm Hyrcano commenda-  
tum. Neq; iam alia, quæ turbare admo-  
dum lectorem possint, vel multa uel ex-  
plicatu difficilia de hac familia inuenias.  
Et sunt in medio Iosephi expositiones  
disertæ & illustres. Illud tamen minimè  
prætereundum silentio erat, ab Herode  
Magno successores fermè omnes nomen  
idem usurpasse, id quod confirmant ex-  
empla de Archelao, Antipa, Philippo,  
Agrippa, apud Dionem, Suidam, Cedre-  
B 3 num,

num, Lucam. De Antipatro etiã id vnum  
adhuc repeto ex Eusebio, quod à Pompe-  
io Procuratorẽ Iudææ constitutum, ait.  
Sed de hoc autore, quæ nostra sit senten-  
tia, antea exposuimus, nec causa vlla est,  
cur ea parte à Iosepho discedatur. Quem  
eundem de Herodis filijs, Archelao, An-  
tipa, Philippo confusius, & opinionibus  
penè contrarijs explicantem, quomodo  
conciliare liceat, ex epitome Pauli Eberi  
repeti volumus. Quia enim diuersas no-  
minat Archelai & Antipæ matres, certè  
germani esse nequiuerunt. Neq; Archelaus  
Romã iturus, regnum Philippo aliam ob-  
causam, quàm quod ὁμόμητροι essent, cõ-  
mendasse videtur. Vt & Herodis nomẽ,  
qui frater adiungitur Philippo, apposi-  
tũ temerè ab indocto librario videatur,  
fortè inde, quod & ipse cognomentum  
Herodis assumpsit. Ac poterit eodem mo-  
do de HERODIADE discrepantia, de  
qua aliqui præter rationem se torquent,  
tolli. Primo enim nuptam censemus He-  
rodi, Herodis M. è Mariamme Simonis,  
filio, deinde Philippo, à quo eam abdu-  
xerit Antipas. Nam ita & Euangelista-  
rũ, Matthæi, & Marci, quos sequitur eti-  
am Suidas, constat autoritas debita, nec  
derogatur quicquam Iosepho. Etsi Salo-  
men,

men, quam non Philippo, sed primo marito Herode genitam reor, tantum cum Aristobulo, Herodis Chalcidensis filio, fuisse malim, ut ne quid scilicet, quod cum Mattheo & Marco pugnet, admittatur. Constitit autem propagatio familie & Herodis posteritas, fratrum Alexandri & Aristobuli e Mariame Asmonæa, progenie. Cum quidem Iosephus addiderit, eam paucis exceptis, intra annos centum totam interijisse. Cæterum Alexandro editi posteri, mox ab initio patrijs desertis institutis ad religionem Græcorum Ethnicam desciuere, & credibile est, id ipsum maximè eos Romanis commendasse. Cumque de TIGRANE affirmet Iosephus, regnum ei Armeniæ concessum, nos ad hunc referimus, quæ de Tigra- nepote Archelai Cappadocis Tacitus tradidit. Nam genitum filia eius GLAPHYRA, constat. Ad Aristobuli filium AGRIPPAM mutabili rerum mutatione regnum tandem auitum redijt vniuersum. Quamquam Suidas & Cedrenus perperam patre Herode Magno genitum velint. Ac mansit quidem regij nominis dignitas etiam filio AGRIPPÆ & nepoti Agrippino. Nam post hunc stirps omnino deficit, & nominavit quidem illum solus Philo.

24

F A M I L I A  
A S M O N Æ O R V M,  
Q V Æ A P R I M O M A  
T A T H I A V S Q V E A D A N T I  
G O N I regis interitum, & principa-  
tu & sacerdotio & regno in  
Iudæis floruit  
annos 131.



*I M E O N, filius Assamonei,  
v t sentit Iosephus.*

|  
*Ioannes.*

|  
*M A T A T H I A S, sacerdos Hiero-  
solymitanus, classis & generis Ioaribi: incoluit  
vicum Modinum, & fama ad homines honesta,  
mente ad Deum religiosa viuit. Ideo cum iam  
senex in ea incidisset tempora, quibus A N T I  
O C H V S Epiphanes, Iudæos, Pontificum sce-  
lere oppressos, & extremè afflictos, etiam ad aui-  
tæ religionis desertionem cogeret, & numinum  
Ethnicorum cultum præciperet, conquestus de  
hac*

hac rerum acerbitate domi apud filios, publicè  
 & Apellem præfectum ad sacrificandum inui-  
 tantem, & ciuem edicto, se cessante, parentem ex  
 pia indignatione obruncat: aram idolatricam  
 euertit: populum ad arma vocat: & digressus  
 in solitudines, confluentis ad se multitudinis ex-  
 torris defensionem suscipit: sabbatho pugnan-  
 dum docet: Antiochi duces pijs insidiantes re-  
 primit: Idola ex oppidis exterminat, & arden-  
 ti pietatis studio patriam religionem passim re-  
 uocatam instaurat. Moritur suscepti conatus  
 huius sanctissimi anno primo, senio videlicet con-  
 fectus atq; laboribus: & filijs spe auxilij cœlestis,  
 & exemplo suo ad audendum confirmatis, curam  
 religionis & exulum piorum protectionem de-  
 mandat. Maccab. lib. 1. Iosephus, Egesippus, Eu-  
 sebius, Zonaras, Cedrenus.

Geniti autem MATATHIA filij hac  
 serie commemorantur 1. Maccab. 2. & à Iose-  
 pho: Idannes, SIMON, IVDAS, Elea-  
 zarus, IONATHAS. Sed de bello Indai-  
 co lib. 1. cap. 1. idem Iosephus varians, IV-  
 DAM natu maximum facit: quam sententi-  
 am nos etiam amplectimur, & propter historiae  
 continuationem proximè ei subijcimus IONATHAM.

B 5 IVDAS,

IV DAS, cognomento Maccabeus, dux  
 militiae à patre morituro exulanti turba prepo-  
 situs, magno animo munus id gerit: Iudaeæ urbes  
 obitas lustrat, & religionis desertores compre-  
 hensos supplicijs capitalibus afficit. Quod vin-  
 dicaturos duces regios, Apollonium & Sero-  
 nem, prælijs felicibus cedit: Lysiae copias validis-  
 simas dissipat, hocq; post iteratam expeditionem  
 in Syriam reiecto, Ierosolyman recuperat, tem-  
 plum, Iouis Olympij cultu iam per triennium  
 profanatum, expiat, & edificata Sione, munit  
 Bethsuram. Inde in Idumæos & Ammonitas in-  
 vadit, & repressis interea per SIMONEM  
 fratrem Tyrijs, Sidonijs, Ptolemaidensibus, Ti-  
 motheum, Ammonitarum ducem, prælio gemi-  
 no sternit: obsidet Syriacum præsidium in Hie-  
 rosolymitana arce: & cum infeliciter tentato  
 ANTIOCHO Eupatore, quem evocasset  
 MENELAVS Pontifex, obsidionem huius  
 aliquandiu in templo tolerasset, tandem pacem  
 ab eo sponte oblatam recipit. Delatus apud  
 DEMETRIVM Soterem ab ALCI-  
 MO, primùm Bacchidi, deinde Nicanori de-  
 bellandus traditur: cumq; illius evitatis insidijs,  
 hunc vim intentantem ad Bethsuram prælio ex-  
 cepisset, victum occidit. Iamq; à Syria regibus  
 pacem

pacem se firmam obrinere posse diffusus, per lega-  
 tos cum Romanis foedus init. Quanquam re &  
 veritate id ipsum res eius maxime euerterit.  
 Nam Demetrii mandato iterum oppugnatus à  
 Bacchide, qui adiunctum haberet *A L C I-*  
*M V M*, & cum manu suorum exigua occur-  
 rere hosti ausus, etsi dimicauit fortiter, ipsaq;  
 phalange perrupta, in mediam usq; penetravit  
 aciem, tamen victus multitudine, generose neq;  
 inultus occumbit: & corpus à fratribus per in-  
 ducias receptum, magnifico funere maiorum mo-  
 numentis Modini infertur. *Maccab. lib. 1. & 2.*  
*Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nice-*  
*phorus, Zonaras, Cedrenus, Hieronymus, Au-*  
*gustinus.* Fuit animi magnitudine, clementia,  
 pietate, constantia in religione propugnanda in-  
 credibili: ut excitatum, adiutum, defensum  
 diuinitus, dubium nullum sit. Cognomen tum  
 Maccabæi à symbolo acquisiuit, usurpato ex  
 hymno *Exod. 15.* cuius verba Ebraica sunt:  
*MI CAMOCHA BAELIM IEHOVA,*  
 Quis sicut tu in Dns Domine. Huius enim syl-  
 laba initiales, quibus notasse id creditur, compo-  
 site nomen Maccabæi exprimunt. De victoria  
 prima ceu trophæo perpetuo usus est Apollonij  
 gladio. Templi recuperati memoriam festis die-  
 bus,

bus, qui luminum vocati sunt, consecratam celebrari quotannis iussit; extititq; idem & lustrationis & profanationis dies, nimirum 25. Nouemb. qui Ebraeis est Casleu, à sidere Kesil, quod aliqui Oriona interpretantur. Et ceperat quidem profanatio illa Olympiad. 153. Ut vindicaret Nicanoris ducis impias de templo euertendo minas, interfecti caput, brachiumq; dexterum cum humero abscissum de templo suspendit, voluitq; huius etiam victoria diem, qui fuit mensis Februarij 13. solennem esse. Durârunt bella eius ann. 6. ut colligitur è Iosepho. Nam Philo ann. 5. Eusebius tres præfuisse Iudæis scribunt.

**IO N A T H A S**, cognomento Apphus, consecratur patris & fratris **I V D Æ** militiam. Cuius suscipere principatum iussus, Bacchidis ducis insidias fuga ad solitudines euadit, eòq; sequi ausum prælio sustinet, & traiectu Iordanis moratur: vindicat fratris Ioannis cadem: munit Bethbasin oppidum: hocq; Bacchidem obsidere aggressum ad pacis condiciones adigit. Ab **A L E X A N D R O** Epiphane spe auxiliorum contra **D E M E T R I V M**, **P O N T I F E X M A X.** salutatur, neq; dignitatem illam respuendam ratus, Ptolemaidem ad nuptias inuitantem visit, exceptusq; honorificentis-



centissimè, & inter amicos eius locum principem promeretur, & accusari à transfugis vetatur. Quae tanta regis istius comitas cum occultum accendisset ducum odium, ab Apollonio superbo bello prouocatur, & praelio felici factus superior, etiam Alexandri amicitiam deserit, & arcem Hierosolymitanam obsidione premit. Ideo accusatus transfugarum scelere apud DEMETRIUM. II. munneribus hunc placat, & praeter Pontificatum concessum, etiam Iudaeam & tres ei attributas toparchias talentis 300. redimit. Nec multo post eidem auxiliatur contra seditiosos Antiochenos fideliter: sed pro beneficio maleuolentiam eius & belli minas reportat. Quocirca consilia iterum noua init, & sollicitante TRYPHONE, Antiochi & partes propugnandas suscipit: renouat amicitiam & foedera maiorum cum Romanis & Lacedaemoniis, munit opere & propugnaculis Hierosolymam. Unde Tryphoni suspectus factus, & in Antiochum ab hoc cogitato parricidio obsistere posse creditus, fraude Ptolemaide in vincula conditur: & quamuis pro liberando ipso à SIMONE fratre & filij obsides mitterentur, & pecunia à tyranno postulata promtè penderetur, tamen non multo post ingulatur: atq; ab hoste in

Basca

Basca oppidulo tumultatus, à Simone Modinum transfertur. Maccab. lib. 1. & 2. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Hieronymus. Fuit in imperio annos 18. (Philo & Eusebius habent 19.) in iysq; Pontificatum per annos 10. administravit, Quem Pontificatum virtute partum etiam familiae conservavit, cum inde ab ALCIMI morte vacasset ann. septem. Nec Iuda se indignum successorem prestitit, seu pietatem erga Deum spectes, seu virtutes ceteras, quæ in viris principibus commendari & requiri consueverunt. A victoria de Ammonio potitus Azoto, DAGONIS Deæ templum, antiquitate nobilissimum, incendit. Videtur autem Dagon hæc Ouidio Dercetis esse, Straboni & Athenæo Atergatis, Luciano Derceto, quæ & propè Ascalonem & templum & lacum piscosissimum consecratum habuit, teste Diodoro. Sunt qui nomen Dagon interpretantur piscem mæroris, qua de re fabulam habent præter eundem Diodorum Ovidius lib. 4. Metam. & Lucianus de Dea Syria. Nam Athenæus omnia ad historiam retulit.

SIMON, cognominatus in libris Maccabeorum Thassis, à Iosepho Matthes, à Zonara Thatis: ornatur à patre prudentiæ laude, & fratribus

fratribus reliquis praesse consilio iubetur. Nec sanè tantū de se πρὸς ἄλλοις parte vlla sefellit: ac sub Iuda auxilio missus Galileis, Ionatha contra Ammonium fortem operam nauat. Quem captum postmodò per insidias à Tryphone liberare frustra conatus, & principatum ac sacerdotium eius gerere iussus, Tryphoni vim paranti se opponit fortiter: parenti & fratribus sepulcrum magnificum extruit: genti toti immunitatem praestat, & arcem Hierosolymitanam expugnatam diruit, ipsumq; montem, in quo sita illa fuisset, triennij labore complanat. Ab AN- TIOCHO Sotere facile in partes odio Tryphonis pertrahitur, & copias ei auxiliares contra tyrannum adiungit: nec diu post hoste eo usus, & per Cendebeum ducem oppugnatus, rem gerit feliciter, & renouato cum Romanis foedere, reliquum vite & imperij tempus in pace degit. Perijt scelere P T O L E M A E I generi, apud quem, Ecclesias Indæ atq; politias inspecturus ac constituturus, diuerterat, cum Pontificatum post Ionatham tenuisset annos 8. Maccab. lib. 1. & 2. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Nicephorus, Hieronymus.

IO ANNE S, cognomento Gaddes, suscipit cum patre & fratribus, Iuda ac Ionatha,  
religio

32

religionis defensionem. Atq<sub>3</sub> à Ionatha missus  
cum impedimentis ad Nabateos Arabes ( sunt  
hi posterì Nabaioth, filij Ismaëlis ) in itinere ab  
Amorrhæis opprimitur. 1. Maccab. 9. Iose-  
phus, Egesippus, Zonaras, 2. Maccab. 8. vide-  
tur Iosephus nominari.

Eleazarus, cognomento Auran vel Aba-  
ron, affuit Indæ fratri socius primum in prælio  
contra Nicanorem, & legendo libro sacro tum  
præficitur, deinde contra Antiochum Eupatora.  
Quo tempore in hostium elephantis unum præ  
reliquis & magnitudine & ornatu insignem  
conspicatus, ideòq<sub>3</sub> regem eo vehi ratus, conatu  
temerario bestiam adoritur, atq<sub>3</sub> è vulnere colla-  
bentis pondere obritus, extinguitur. 1. Maccab.  
2. 6. 2. Maccab. 8. Iosephus, Suidas, Zonar-  
as, Cedrenus.

Reliquere è fratribus hisce liberos tantum SI-  
MON & IONATHAS. Illo nascuntur  
IOANNES HYRCANVS, Indas, Matathi-  
as, & Filius Filiag<sub>3</sub> ἀνώυμοι, Huic filij duo &  
Filia, ἀνώυμοι attribuuntur. Quemadmodum  
verò tempore & propagatione diuturnior, ita  
quoq<sub>3</sub> florentior extitit Simonis posteritas. Nam  
Ionathæ Filij pro patre Tryphoni obsides dati,  
ab hoc simul de vita tolluntur. Filia collocata  
cuidam

cuidam Matthiæ Curto, edidit Matthiam, auum  
 IOSEPHI historici. Quapropter ad Simo-  
 nis explicandam progeniem pergo.

IOANNES, cognomento Hyrcanus,  
 imponitur à patre præfectus Gaza, indeq; Cende-  
 bai ducis hostilem irruptionem primus ei nunci-  
 at. Ideo occurrere huic cum Iuda fratre bello  
 iussus, felici pralio victum Iudæa expellit. A  
 patris cade & ipse Ptolemæi affinis insidijs ap-  
 petitur: ac suorum fide periculo ereptus, & post  
 susceptum Pontificatum obsidere parricidam in  
 Dagonæ castello aggressus, matris & fratrum  
 cruciamentis, quibus in conspectu ipsius excarni-  
 ficabantur, ab eo conatu auertitur. Inde AN-  
 TIOCHI Soteris bello vexatur, & Hieroso-  
 lymis obsidione infesta premitur. In quo tempo-  
 re præter inducias concessas, etiam victimis in  
 scenopegia festis diebus donatus, ad deditionem  
 tam memorabili moderatione inuitatur, ac de-  
 pensis regi talentis 500. & munitionibus deie-  
 ctis, ad bellum hunc Parthicum confectatur:  
 sed euentu eo, qui Antiocho interitum, ipsi occa-  
 sionem ad rem felicius gerendam, & regnum am-  
 plificandum, attulerit. Nam cum profligato In-  
 date duce, ob Pentecostes sacros dies progredi vl-

C

terius

terius cum Antiocho detrectaret, & ille nihilominus bellum urgendo in praelio quodam occubisset, Syriam populabundus inuadit: recuperat urbes Iudææ detractas: destruit Garizinum templum: subiugat I D V M Æ O S, & ad Circumcisionem adigit: Romanos & A L E X A N D R V M Zebinam fœdere sibi iungit, & S A M A R I A M obsidione annua captam solo equat, inductis illo quoque torrentibus, ut eluue horum fœdatis omnibus, ne vestigium quidem oppidi superesset. Postremos principatus annos propter P H A R I S Æ O R V M aduersantem factionem turbulentiores habuit: à quibus ob Eleazari cuiusdam maledicentiam factus alienior, & sanctiones horum varias abrogat, propugnatoribus earum supplicio affectis, & ad S A D D V C Æ O S palam transit. Moritur anno principatus tricesimo primo, seu ut habent alij 26. 1. Maccab. 13. & 16. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras. Fuit tribus præcipuè rebus insigniter fortunatus habitus, nempe principatu gentis, Pontificatu & rerum futurarum presagitione. Etenim filiorum de A N T I O C H O Cyziceno victoriam ad Samariam, cœlesti voce denunciata, populo die eodem indicauit, & principatus eorum

fat

fata predixit. Cognomentum Hyrcani Eusebius  
alibi ab Hyrcanis deuietis, alibi ab Hyrcano,  
qui cum bella gesserit, deducit.

Iudas, oppugnauit cum Hyrcano fratre  
Tendebat ducem, & dum audacius se periculis  
offert, vulnus graue accipit. Comitatus patrem  
ad Ptolemaeum, iugulato illo inter epulas, in vin-  
cula conditur, & tortus cum matre fratreg, alie-  
ro diriter, post Hyrcani discessum trucidatur.  
Iosephus Maccab. lib. 1. varians casum cum  
patre in conuiuio, affirmat.

Matathias, iungitur & ipse patri comes in  
Iudaea obeunda, & Ptolemaeo salutando: à quo  
itidem captiuus detentus, & excruciatu tyrannice,  
perimitur. 1. Maccab. 16. Iosephus.

E liberis SIMONIS ἀνωμόσις Filius  
ab Hyrcano obses datur ANTIOCHO So-  
teri: Filia collocatur Ptolemaeo Abubi, homini  
Iceleste nefario. Qui dignitate & opibus amplif-  
simis auctus à socero, & Hiericontio agro prae-  
fectus impositus, potentiam ei inuidet: Quam ut in  
se transferret, insidiosò conuiuio exceptum inter  
scyphos obtruncat: socrum cum filijs duobus in

vinculis asseruat, & IOANNE M Hyrcanum ex ferro & manibus elapsum, opprimere fraude satagit. Ideo oppugnatus ab illo hostiliter, in matrem & fratres usurpata tormentorum seuitia fractum, ab hoc conatu auertit, nec multo post celsis illis, ad ZENONEM Corylam, Philadelphiensium tyrannum profugit, & apud mortales omnes memoriam nominis sui execrandam relinquit. i. Maccab. 16. Iosephus, Egesippus, Hieronymus.

Procreantur IOANNI Hyrcano ex coniuge ALEXANDRA, ut vult Nicephorus, liberi: ARISTOBVLVS, Antigonus, ALEXANDER, Absolomus & Filius ἀνώνυμος.

I. ARISTOBVLVS I. praeficitur à patre obsidioni Samariae: quam soluere tentantem ANTIOCHVM Cyzicenum, praelio cedit: PTOLEMAEI Lathuri duces, Calli-cratem & Callimandrū, noua adducentes auxilia reprimi: iamq; urbem ipsam urgēdo infestus, in potestatem redigit. Vnde & populo omni commendatur mirifice, & à patre principatus successor nominatur. Quem principatum in re-

gnum



gnum commutare ausus, R E G E M se, diademate assumpto, nominari primus iubet: cum fratre Antigono dignitatem eandem communicat: matrem, petentē dominatus partem, quam concessisset Hyrcanus maritus, necat, & fratres ceteros cum matre facientes, vinculis constringit. Nec diu Antigono benevolentiam prestat, ac per calumniam regni affectati ab invidis accusatum, per satellites de vita tollit. Quorum tot scelerum conscientia graui oppressus, & morbo, quo sub Antigoni cadē laborare cœperat, tum inde, tum è pueri lapsu, quem redditum à se vomitu sanguinem non sine prouidentia diuina respectu, eo loco, ubi frater ceciderat, effudisse arbitraretur, aucto vehementius, inter immanes animi & corporis cruciatus extinguitur: postquam regnârat annum unum. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Augustinus. Accepit cognomentum Φιλέλληνος, à familiaritatis nempe usu & consuetudine cum Grecis seu Ethnicis. Neq; obscura etiam regni tempore in patriam beneficia contulit: & I T V R Æ O S, bello edomitos exiliy comminatione ad Circumcisionem adegit. Meminit Iosephus lib. 20. Antiq. cap. 8. appellatum alio nomine Indam.

Antigonus, urget cum **A R I S T O -**  
**B V L O** fratre obsidionem Samariae, ab eoz, di-  
lectus mirificè post in regni consortionem assu-  
mitur. In quo tempore belligerat feliciter in  
Galilea: ac regressus Hierosolymam ad festum  
Tabernaculorum celebrandum, ob comitatus  
ornatissimi pompam & fratris regis & regionum  
incurrit invidiam: cumq, illum salutaturus,  
**A L E X A N D R A E** reginae hortatu frau-  
dulento pergeret ad regiam armatus, ceu insidia-  
tor, & regni emulus, per satellites conficitur. Jo-  
sephus, Egesippus, Zonaras, Hieronymus.

II. Ioannes, alio nomine Ianneus &  
**A L E X A N D E R**, cognomento Thraci-  
des, utitur patre alieniore, propterea quòd bene-  
volentia huius omni in filios natu maximos  
inclinante, caelesti responso regnaturus pre-  
diceretur. Quare in Galilea extra conspe-  
ctum ipsius educatur, & postmodo ab **A R I -**  
**S T O B V L O** fratre vinculis mancipatur.  
Inde coniugij stipulatione dimissus ab **A -**  
**L E X A N D R A**, & rex salutatus,  
illi quidem fidem datam servat, è fratribus  
verò superstuitibus alterum regno insidiantem,  
supplicio afficit, alterum vitam otiosam ample-  
ctentem

Etentem in honore habet. Hinc in Ptolemai-  
 denses bellum suscipit, & victos, atq; obsidione  
 gravi fatigatos, ex desperatione ad externa  
**P T O L E M A E I** Lathuri profugere  
 auxilia cogit. Cuius societatem palam pro-  
 fessus, occultè vero cum **C L E O P A T R A**  
 matre foedus machinatus, re prodita, inua-  
 ditur hostiliter: praelio ingenti funditur fuga-  
 turq;: & prater sauitiam in imbellem puero-  
 rum & mulierum captarum turbam usurpa-  
 tam, etiam agrorum & oppidorum foedam de-  
 populationem cernere cogitur. Attamen eicit  
 paulo post grassatorem hunc rursus per Cleo-  
 patram: tentat Coelesyriam & Phoenicen, &  
 occupatis Gadaris, Amathunte, Anthedone,  
 Gazam Lysimachi cuiusdam proditione capit  
 & enertit crudeliter. Eam felicitatem dome-  
 sticus excipit motus, ab occulto **P H A R I-**  
**S A E O R V M** profectus odio. Cumq; umbra-  
 culorum festis de more aris astans, & sacrifi-  
 care aggressus, vulgi dicteris ceu sacerdotio  
 indignus incessetur, & peteretur citrys, in-  
 dignatione è tanta petulantia vehementi ac-  
 census, per militem immissum ad 6000.  
 occidit, ac ut in posterum tutior esset,  
 Cilices & Pisidas corporis custodes asciscit.

Unde animis omnium exasperatis vehementius,  
 ad tempus cedit: Moabitas & Galaaditas de-  
 bellatos vectigales facit: & ausus idem in O B E-  
 D A M Arabem, cum clade Hierosolymam  
 reijcitur. Ideo iam opprimi ipso tempore posse  
 creditus, civile ipsi bellum ab Pharisæis sexenna-  
 le conflatur. Quod etsi initio aduersum habuit,  
 & in prælio contra D E M E T R I V M Eu-  
 cerum, quem aduersarij euocârant, amisit copias  
 omnes, tum præter innumeras contumelias illatas  
 alias, cedere Arabibus Moabitide & Galaadiz-  
 tica coactus fuit: tamen in eum finem deduxit, ut  
 Demetrio ob Iudeorum transfugia domum re-  
 gresso, seditiosorum primarios Bethome per obsi-  
 dionem incluseret, tandemq; expugnata illa vi-  
 uos ceperit. Horum exquisitis supplicijs ceteros  
 coërceri posse ratus, ad 800. Hierosolymam per-  
 ductos inter epulas & concubinarum accubitus  
 in crucem tollit, eisq; adhuc uiuentibus, liberos  
 ipsorum & uxores in eorum conspectu iugulari  
 imperat. Nec sane dehinc ei vel domi tranquil-  
 litas, vel in bellis cum gentibus accolis felicitas  
 defuit. Quæ cum per triennium ita gessisset, ut  
 nullam nisi ab O B E D A cladem acceperit, in-  
 deq; iam populi odium nonnihil mitigasset, ex  
 ebrietate in febrim quartanam incidit. Ea toto  
 triennio

triennio vexatus, ac tamen si viribus planè ex-  
 haustus, belli tamen cupiditate quadam indomi-  
 ta in Gerasenos (sunt hi in Evangelica historia  
 GERGASENI) profectus, in Ragaba arcis ob-  
 sidione moritur. Explevit aetatis annos 49. re-  
 gni & sacerdotij 27. Philo, Iosephus, Egesippus,  
 Nicephorus, Zonaras, Hieronymus, Augustinus.  
 Meminit Sirabo lib. 16. & primum in Iudeis  
 regnasse, falso astringit. In bello, quod gessit cum  
 ciuibus, cecidisse ad 50000. hominum accepi-  
 mus: cuius tanta cladis causa & initium, ut di-  
 ximus, a Phariseorum extitit malitia & scele-  
 re. Hi enim, cum capitali odio dissidere ab IO-  
 ANNE Hyrcano coepissent, adeo id morte illi-  
 us non deposuerunt, ut etiam in filijs auxerint,  
 & populum ab Alexandro primum occultè  
 alienatum, deinde vero ad rebellionem apertam  
 inductum, ea obstinatione confirmarint, ut Rex  
 pacem facturum, cum contumelia reiectus fuerit,  
 rogantibus, quid facto opus esset, omnes unanimiter  
 clamarint, ut moreretur. Ideo ne filijs pericula  
 nova crearentur, Alexander iam moriturus,  
 Phariseos placaret, adeoque sepulturam suam, ad  
 arbitrium illorum reijceret, ALEXAN-  
 DRAE coniugi mandat. Id quod executum illa  
 diligenter, ambitionem factionis illius facile e-

mollit, & filijs uti spes successionis maneret efficit, tum funus marito honorificum impetrat, tantumq; per Phariseos potest, ut nec populus luctum omitteret.

**Abfolomus**, fit Alexandro fratri in carcere & vinculis particeps. Cum quo itidem dimissus ab **ALEXANDRA**, privata & vita studio benevolentiam illius retinet, & honoribus decentibus augetur. **ARISTOBVLO II.** propter affinitatem contra **HYRCANVM** adheret: & expugnata à **POMPEIO** Hierosolyma, captiuus ad triumphum abducitur. Iosephus.

Filia ἀνώρου, nupsit **ARISTOBVLO II.** patrueli. Quo capto à Pompeio, & Romam abducto, manet in Romanorum fide: & **GABINIO** usa humaniter, literis eius filijs liberationem à Senatu impetrat. Iosephus lib. 14. Ant. cap. 10. & seq.

Filius Ioannis Hyrcani ἀνώρου, mul-  
tatur & ipse carcere ab **ARISTOBVLO**  
fratre: & apud **ALEXANDRV M** re-  
gni

gni affectati reus factus, perimitur. Iosephus.

Fuit cum *ARISTOBVLO* I. con-  
 nupta *Salome* ( *Eusebio* & *Sulpitio* perperam  
*Salina* dicitur ) quam *Græci* *ALEXAN-*  
*DRAM* nominârunt. Hæc à mariti obitu,  
*ALEXANDRI* Iannei adhuc captivi  
 pacta matrimonium, *HYRCANVM* &  
*ARISTOBVLVM* filios edit. Inuenimus au-  
 tem foemine illius, quæ natura imperij & hono-  
 rum auida esset, fortunam & virtutem illustrem:  
 sed in qua tamen integritatem & fidem merito  
 desideres. Nam præter geminatum cum fratri-  
 bus coniugium, *Antigonum* scelerata perfidia  
 sua euertit. In *Alexandri* imperio & pruden-  
 tia & pietatis & moderationis laudem prome-  
 ruit. Ideo regnum, testamento eius legatum,  
 etiam populi voluntate retinet, *Hyrcano* solo  
 Pontificatu concessio. Id quod cum ita admi-  
 nistraret, ut vicinis etiã terrori esset, corrumpit  
 nimio in *Phariseos* studio. Hos enim iam sibimet  
 ipsi imperare ausos, & sanctiones à *Ioanne*  
*Hyrcano* aboitas reuocare, & seuire in *Alexan-*  
*dri* amicos, qui crudelitatis illius autores diceren-  
 tur, permittit. Cumq; eum iracundia furorem  
 tandem

tandem Aristobuli intercessio cohibuisset, superstites è regia dimissos, castellis praefectos imponit. **TIGRANEM** Armenium ex Syriaco regno Iudæam ingressum muneribus & pecunia auertit. Nec multo post morbo affecta, consternatione animi ob filij Aristobuli aduentum hostilem, & castellorum defectionem exanimatur: anno regni nono, aetatis 73. Philo, Iosephus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Hieronymus, Augustinus.

**III. HYRCANVS**, homo ingenio segni, & otij ignaui cupido, accipit à matre uiuente Pontificatum, a morituræ regnum. De quo utroq; hoste usus **ARISTOBULO** fratre, & post infelicem ad Hiericuntem pugnam cum amicis obsessus, itidem utrunq; illi permittere, & vitam uiuere priuatam cogitur. Nec sanè acerba hæc ei futura fuisset fortunæ mutatio, ni **ANTIPATRI** Idumæi, quem familiariter diligeret, adhortationes insidiosæ vel segniter cessantem ad consilia noua impulissent: sed unde & ipsi & familia & genti toti calamitates extremae accesserint. Huic enim bellis funestis implicite, seruitutem tristissimam attraxit. In quibus bellis cum primum **ARETÆ** Arabis, mox alterum



alterum Pompeij ( conciliârat autem Hyrcanò  
 utrunq; Antipater ) excepisset, & Pompeius à  
 patribus urbe susceptus, ut ait Orosius, à plebe  
 muro templi repelleretur, vi hoc expugnatur:  
 civium strages ingens editur: violatur oraculi  
 adytum: dei ciuntur urbis muri, Iudææ, spoliata  
 provincijs, quas maiorum virtus acquisierat, &  
 veteribus restituta limitibus, tributum imponi-  
 tur, ita ut illa tempore non magno plus quam  
 10000. talentorū, hoc est, tonnas auri 60. pepen-  
 derit: & ipse absq; regio nomine tantum Ponti-  
 ficatum tenere iubetur. In hac dignitate servit  
 deinde servitutem perpetuam ducibus Romanis,  
 Gabinio, Crasso, Cassio, Cesari. Cui postremo per  
 Antipatrum contra Alexandrinos auxiliatus,  
 tum **ETHNARCHÆ** honore augetur, tum  
 reficiendorum murorum Hierosolymæ potestatem  
 impetrat. Cum quidem hoc urgeret ambitiosius,  
 quod eam, ante Gabinijs proconsulare imperium,  
 maximè belli mouendi à Φορμίων habuisse memi-  
 nisset Alexandrum. Nec multo post Antipa-  
 trum necari veneno à **MALICHO** passus, ac  
**PHASELV** & **HERODEM**, suo testimo-  
 nio Antonio commendatos, ferre adiunctos sibi  
 Tetrarchas coactus, ab **ANTIGONO** bello pe-  
 titur: cum Phaselo fraude à Parthis auxiliari-  
 bus

bus, quibus praesertim PACORVS, regis Orodis F. & BARZAPHERNES, capitur: mutilatusq; auribus ab Antigono, ut ne scilicet potiri iterum Pontificatus honore unquam posset (excluebantur enim mutili) in Parthiam captiuus abducitur. Ibi postmodo à PHRAATE rege vinculis solutus, & Babylone degere cum gentilibus Iudeis, qui ceu Pontificem ac Regem venerarentur, permissus, ab HERODE per legatum reuocatur, & astuta simulatione aliquandiu habetur honorifice. Nam detegente illo paulatim in Asmonaeam domum odium, & Pontificatum ab ea alienari, & ad hunc admotum Aristobulum nepotem, perimi nefarie conspiciat. Ac res ipse nouas per literas ad MALCHVM, Aretæ successorem, interceptas moliri depræhensus, seu potius per calumniam oppressus, iam octogenarius supplicio afficitur. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Dion, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, Florus, Hieronymus, Augustinus, Orosius. Suidas historiam Hyrcani ceu permutando, Aristobuli ei res gestas attribuit, & ad hunc vicissim retulit, quæ Hyrcani sunt.

ALEXANDRA, patri ingenio,  
non autem fortuna dissimilis: illud acre sed inquietum

rum, hanc per omnē vitam calamitosissimam habuit. Vidit enim funestos domus suae casus atq; interitū, vidit gentis arumnas & dominationis asperrimae seruitutem grauissimā. Fuit autem cum **ALEXANDRO** patruele. Hoc Antiochia necato, in Herodis familiā propter Mariāmen filiam asciscitur. Quē ad Parthorū cauendas insidias hortata prudenter, habetur aliquandiu ab aula honorificē, amatur à populo. Post patris reditum, Pontificatus dignitatē à familia alienatā, & in **ANANELVM** translatae indignata, per **CLEOPATRAM** & **Antonium** eam **ARISTOBULO** F. recuperat: sed odiū regis sibi ingens conflat, & custodiri dehinc iussa diligentius, aliquantō post etiā filium amittit. Quod impotentis iracundiae conatu vindicatura, Herodem apud Antonium accusatū in vitae discrimē ingens cōiicit, & tūm alia curiose agit, tū patrem Hyrcanū ad res nouas impellit, & Mariāmen filiā ab marito alienat. Atq; proditū illum ac circumuentū sceleratē conspicata, hanc fictis criminibus accusatam, incessere ne ipsa quidē conuicijs destitit, cum scilicet hoc quaereret, ne qua de se quoq; suspicio sinistra oriretur. Nec tamē sic etiam vel dolorē suum dissimulare, vel quiescere potuit. Etenim verita Antipatri  
succes-

successionem, propterea quod in aulam mater eius DORIS reuocata esset: Herode ex Mariammes interfecta desiderio lethaliter decumbente, cum praesidiarijs arcium urbis militibus de permittendis hisce regis ex Mariamme hereditibus, per internuncios occultos agit. Eo tanta audacis facinore enunciato, seu mandato illius rapi ad supplicium iubetur. Vixit annos 60. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

IIII. ARISTOBVLVS II. vixit sub matre priuatus: & perosus Phariseorum potentiam, adiungit se patris amicis, quos premere illi primum machinationibus occultis, deinde vi manifesta coeperant. Ab iisdem contra Hyrcanum auxilijs instruitur, cum sub obitum matris studio rerum nouandarum ex aula se subduxisset: & victum hunc ad Hiericuntem, atq; in fami munitionibus obsessum, & regno & Pontificatu cedere cogit. Quam iniuriam tandem post quadriennium illo vlciscente, ARETAM Arabem hostem accipit, & clade graui multatur. Cumq; occurrere ei cum copijs nouis permisus à SCAURO, & Hyrcanum accusare apud POMPEIUM ausus, hunc deinde de causa cogniturum eluderet, & pecuniam promissam

missam denegarent militibus, in custodia asseruatur, & Hierosolymis vi expugnatis, captiuus ad triumphum ludibria abducitur, tumultus huius autoribus amicis securi percussis. Tamen post septennij captiuitatē è vinculis iterum elabatur, & clam in Iudæam reuersus, nouas dat turbas: manum ad 8000 lectissimorum militum facit: & conflare ausus cum M. ANTONIO, qui tum Gabinio militaret, praelio vincitur, ac expugnata Macharunte, in quam è fuga se receperat, iterum vinculis cum Antigono F. mancipatur, Romamq; asseruandus Pompeio mittitur. Ibi sub belli ciuilibus initium dimissus à Cesare, & tentare cum legionibus duabus Syriam iussus, à Pompeianis in eo conatu veneno necatur, & cadaver, principio in Melite insula conditum, postea Antonij Triumuii mandato in patriam reportatur, & regis monumentis inferitur. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Plutarchus, Appianus, Dion, Nicephorus, Zonaras, Florus, Eutropius, Hieronymus, Augustinus, Orosius.

Habuit in matrimonio ARISTOBVLVS II. Filiam Absolomi patris ἐνώουρον: è qua liberos sustulit, Alexandrum, ANTI-  
D GONVM,

GC NV M, Alexandram & Eliam aliam  
ἀνώνυμον.

Alexander, capitur cum patre à P O M-  
P E IO, & triumpho eius spectaculo destinatur.  
Quam contumeliam intolerabilem ratus, elusis  
in itinere custodibus, in Iudæam regreditur, eaq;  
incurfionibus vexata, munit receptacula Ale-  
xandrium & Machærunta: contra Gabinium,  
euocatum ab Hyrcano, in bellum apertum de-  
scendit, & prælio victus, ac Alexandriæ obsessus,  
deditioe se hosti permittit, nec multo post cum  
patre, itidem capto denuò, Romam remittitur.  
Vbi deprecante Gabinio iterum dimiffus, Iudæ-  
am repetit, eamq; absente illo in Aegypto nouis  
tumultibus complet: copias cogit validiffimas:  
Romanos milites captos crudelibus supplicijs affi-  
cit: & prælio nouo congressus cum Gabinio, ea  
clade sternitur, vix ut fuga salutem consequere-  
tur. Post tamen pacificatur cum C A S S IO,  
qui Crassiani exercitus reliquias in Syriam res-  
duxerat, & à turbis abstinet usq; ad belli ciuilis  
initium. In quo tempore cum ob patris aduen-  
tum iterum manum faceret, opprimitur à Pom-  
peianis, adductusq; ad Scipionem Antiochiam, &  
de rebellionè atq; in Romanos milites usurpata  
seuitia

sanitia accusatus, securi feritur. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

V. ANTIGONVS, patri in captiuitatis gemina dedecore consors factus, & Roma in triumpho ductus à Pompeio, ob matris fidem, Senatui à Gabinio commendatam, cum Alexandro fratre dimittitur. Huius auersatus contra Romanos temeritatem, apud Ptolemaeum Chalcidensem confidet, adoptionem eius virtute & affinitate promeretur, & demum à CÆSARE, ab Alexandrino bello reuertente, regnum prece frustra contendit. Quod indignè ferens, tametsi tum metu potentia Caesaris quieuit, tamen casu illo, armis rem tentat, & profligatus ab HERODE, ita insuper à fortuna mulctatur, ut Antony studio debitam familiae suae potentiam transferri in hunc & fratrem Phaselum conspiceret. Eam depulsurus iniuriam, Parthos, tum in Syriam, PACORO & BARZAPHERNE ducibus infusus, promisso talentorum mille & mulierum 500. per LYSANIAM, sibi adiungit: bellum Herodi & HYRCANO ingens constat: cumq; hunc cum  
D 2 Phaselo

Phaselo fraude captum, & crudeliter mutilatum, abducendum in Parthos curasset, itaq; regnum cum Pontificatu in se transtulisset, illum fuga elapsum, & Romæ dignitate regia ornatum ab Antonio & Augusto Cesare, hostem deinde grauem habet, & decreto Senatus Romanis du-  
cibus debellandus traditur. Ex his quanquam Silonem muneribus corruptum aliquandiu sustinuit, & successore Machera rem administrante negligentius, Iosephum, fratrem Herodis, oppressit, tandem tamen à S O S I O, quem cum copijs nouis ab Antonio Herodes impetrasset auxiliarium, intra Hierosolymam concluditur.

Qua militum virtute vi expugnata, quadam erga ciues commiseratione, quos crudeliter mas-  
Etari passim cerneret, & templi conseruandi studio, Sosio se sponte dedit, habitusq; superbe & contumeliose, ac Antoni triumpho destinatus, Herodis artibus, & metu turbarum nouarum Antiochia securi percutitur. Iosephus, Egesippus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras, Orosius. De morte eius addidere Plutarchus & Dion, cruci alligatum (quo supplicio nullus unquam Rex à Romanis affectus esset) flagris casum fuisse, & deinde iugulatum: etsi Dion alibi perperam Aristobulum nominat.

Filia



Filia ἀνώρου, fuit in matrimonio Antipatri filij Herodis Magni. Iosephus lib. 17.

Alexandra, ducitur cum patre captiva in Pompeij triumpho : ac demum cum fratribus redire in Iudæam permissa, Ascalone à Ptolemaeo Chalcidense per Philippionem filium accersitur. Huic formæ excellentis gratia mox matrimonio iuncta, eadem patrem Ptolemaum & ad filij cadem, & adincesti amoris vesaniam pellit : atq; in torum illius succedere iussa, fratribus deinde hospitium tutum protectionemq; impetrat. Iosephus.

Filia ἀνώρου, sequitur patrem Romam captiva, & reditus in Iudæam cum fratribus consors fit. Iosephus.

Connupta cum Alexandro fuit Alexandra, Hyrcani F. unde geniti ipsi liberi, Aristobulus & MARIAMME.

Aristobulus, amisit patrem infans quadriennis : & traductus à matre in aulam Herodis, ea gratia floret, ut is ab Antigono & Parthis eiectus, regnum ipsi petiturus fuerit, nisi in se

D 3 digni-

dignitas illa præter spem collata fuisset. Pontificatum tum matris artibus, tum sororis Mariammes precibus, deiecto ANA NE LO, obtinet. Quæ de causa occultè à rege perosus, nec multo post cum matre res moliri novas deprehensus, etsi tum salute donatus fuit, tamen cum populi studio apertiore tyrannicum animum iterum irritasset, per insidias Hiericunte de vita tollitur. Philo, Josephus, Eusebius, Nicephorus, Zonaras. Egesippus alio nomine Jonathã vocat.

M A R I A M M E, despondetur ab HYRCANO auctore Herodi. Quo Romam ituro, Massada collocatur, & reuerso inde feliciter, & dignitate regia aucto, Samaria nuptijs coniungitur, amoreq; dehinc tenerrimo amatur. Huic dum fastu quodam muliebri parum respondet, & nimium matris obsequitur morositati, tum regis matrem atq; sororem contemptas contentionibus importunis prouocat, & vitam & fortunam sibi acerbiores reddit. Quanquam neq; alienationis istius cause ipsi iustæ desuere, amisso primùm submersione insidiosa Aristobulo fratre, & auctore Hyrcano crudeliter perempto. Quibus additum à rege mandatum occultum de necanda ipsa, si quid ab Antonio pateretur, dum  
incon-

inconsideratius effutit, & indici Josepho necem accersit, & intentatam sibi à Salome adulterij suspicionem adauget. Sed tamen sedata tum adhuc ista quasi tempestas regis amore, increbescit non multo post vehementius, iterato ab illo mandato eodem ad Soëmum ante profectiōē ad Augustum post Actiacam victoriam. Id enim cum itidem homini leui elicuisset, Herodem iam palam auersatur, & contumelia non raro affecto, tandem etiam fratris Aristobuli & Hyrcani necem exprobrare audet. Vnde illo indignatione tanta accenso, vix ut manibus temperaret, à Salome per subornatū pincernam veneficij accusatur. Quod crimen dum defendere negligit, & rex oratione acerbiorē eius damnationem in amicorū consilio urget, de sententia horum supplicio afficitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras. Fuit forma & dignitate corporis, pudicitia, comitate, quam eximia quedam maiestas ornaret, insigni. Ac tametsi in regem maritū esset acerbior, nec dissimularet, quo animo suorum ferret casus, obsequijs tamen beneuolētiæ ab eo perpetuis culta fuit: cumq; tandem iracundiæ furore eius vitam amisisset, id tyranno desiderium sui reliquit, ut in morbū ille periculosissimum inciderit, adeoq; etiam mente motus sit.

FAMILIA  
 ANTIPATRIB  
 EQVAIVDAE  
 TOTIVM REGIO NO.  
 MINE IMPERAVNT HERODES  
 MAGNVS ET AGRIPPA  
 PRIOR.



*Antipas, impetrat patrie Idumae praefecturam ab ALEXANDRO Ianneo: iungit amicitiam cum Arabibus, Gazæis, Ascalonitis: & ALEXANDRA beneuola usus, in Antipatrum F. dignitatem eandem propagat. Iosephus lib. 14. Ant. cap. 2.*

*Procreantur Antipaliberi, ANTIPATER & Cephalion: quibus Iosephi interpres, Sigismundus Gelenius, addidit Iosephum. Nam Castalio varians, auunculum Herodis fecit. Quam discrepantiam peperit vox Graeca à Iosepho usurpata, θεῖος. Ea enim & patruus & auunculus veniunt.*

ANTI-

*ANTIPATER*, retinet patris praefecturam: *HYRCANVM*, à matre *Alexandra Pontificem salutatum*, & regni successioni ob aetatem destinatum, spe loci dignioris, & opum amplificandarum, magno studio colit, ac contra *Aristobulum* propugnat fideliter. Ideo ab hoc in odio habitus, & post deiectum *Hyrceanum* praefectura honore spoliatus, ut se vindicaret, *Hyrceanum* ad res novas impellit, & primum *ARETAM* Arabem, deinde *POMPEIVM* ei defensores conciliat: Cùmq; illo iam victore redire in regnum iusso à *SCAVRO*, hunc ab optimatibus in urbem receptum in templi oppugnatione adiunisset strenuè, & *Hyrcano* mox Pontificatum recuperat, & suam ipse potentiam atq; autoritatem confirmat mirifice, nihil non ob tam praclare navatam operam ipsi indulgente *Hyrcano*. Cui ad duces Romanos demerendos, liberalis in hos munificentiae autor factus, gratiam ipse omnem solus reportat: ac dum nullo non loco adesse eis studet, *Scaurum* Areta Arabi pacatum reddit: *Gabinio* transitum in Aegyptum per *Pelusiacos* Iudaeos aperit, moxq; itidem contra *Alexandrum* *Aristobuli* praesto est: & placatis *Crasso* & *Cassio*, *Cesarem* contra *Alexandrinos* tum suis tum sociarum gentium co-

pijs iuuat, ac ut **MITHRADATES**  
 Pergamenus & tutius & maturius, adeoq; cum  
 hostium clade (nam expugnato Pelusio, ad Del-  
 ta praelio decertatum fuit) ad ipsum perueniret,  
 efficit. Vnde victoris gratiam promeritus illu-  
 stem, ciuitate Romana & immunitate donatur,  
 & reiectis **ANTIGONI** accusationibus,  
 Judae **PROTECTOR** imponitur. A quo  
 tempore cum & filiorum commodis consulturus,  
 Phaselum Hierosolymorum ciuitati, Herodem  
 Galilae praefecisset, Judaeis suspectus esse incipit, &  
 criminibus grauib; ab optimatibus apud Hyrc-  
 canum oneratur. Attamen tum etiam munus  
 & dignitatem suam retinet, & imperato Judae  
 plus quam 700. talentorum tributo à Cassio, cele-  
 riter per filios summam eam conficit, & Mali-  
 cho tardanti, ideoque cedi destinato, talentis cen-  
 tum vitam redimit. Pro quo beneficio insidijs se  
 eius appeti edoctus, dumq; facinus id vindicare  
 armis cogitat, placatus ab Hyrcano, non multo  
 post per pincernam huius, pecunia à Malicho  
 corruptum, veneno inter epulas necatur. Iose-  
 phus, Egesippus, Eusebius, Zonaras, Cedrenus,  
 Augustinus. Excelluit prudentia, industria, fi-  
 de, moderatione: & familiam suam antea obscu-  
 ram primus in lucem vocauit, & Herodi F. ad  
 regiam

regiam dignitatem aditum aperuit. Ac tametsi odia Iudeorum in se manifesta cerneret, tamen asperum in quenquam nihil unquam fecit. Nec conseruare Sacerdotij dignitatem, ipso ceu custode ac defensore amoto, diu Hyrcanus potuit, quod & ipsum gloriam viri clariorem reddidit. Cum enim is antea perpetuo ab agnatis apud Romanos duces accusaretur, Antipatri artibus facile machinationes illae omnes elusae sunt.

Cephalion, affuit Areta & Hyrcano in prelio contra *ARISTOBVLVM II.* fortiterq; dimicans, perimitur. Iosephus *Ant. lib. 14. cap. 4.* & *de bello Iudaico lib. 1. cap. 5.* Egesippus corruptè Fallionem vocat.

Iosephus, accipit regni curam ab *HERODE*, ituro ad Antonium, & *MARIAM MEN* reginam, si quid durius illi accideret, interficere iubetur. Quod dum leuitate stulta apud Mariammen effutit, neq; illa ad Herodem dissimulat, & huic regis odium occultum, & sibi interitum accersit. Iosephus *lib. 15. Ant. cap. 4.* Zonaras.

Fuit

Fuit cum *ANTIPATRO* conu-  
pta Cypris, loco illustri apud Arabes nata, unde  
liberi ipsi geniti, *Phaselus*, *HERODES*  
*Magnus*, *Iosephus*, *Pheroras*, *Salome*.

*Phaselus*, prepositus à patre Hierosolymæ  
& agro finitimo, gerit se in eo munere per sexen-  
nium laudabiliter: eadem eiusdem Herodi vin-  
dicandam arte suadet: reprimi *Elicis*, ducis  
*Cassiani*, seditionem, & in turri obsessum, ac dedi-  
tione incolumitatem pactum, dimittit. Post pu-  
gnam *Philippensem* ab Antonio cum *Herode*  
*Judææ TETRACHA* constituitur, reiectis  
penitus *Judeorum* accusationibus, hisq; dum in-  
stant pertinacius, vinculis & supplicio coercitis.  
Nec diu ea dignitate gauisus, à *Parthis* & *An-  
tigono* bello petitur: cumq; *PACORO* in ur-  
bem recepto, & hospitalibus honorato muneri-  
bus, hortatu huius pacificandi gratia ad *Barza-  
phernem* satrapam cum *HYRCANO* se de-  
portasset, contra fidem datam in vincula conijci-  
tur, & excrucians *Antigono* traditur. Ab eo  
extrema omnia metuens, caput parieti illidit,  
neq; sic etiam exanimatus, vulneri veneno indito  
necatur. *Iosephus*, *Egesippus*, *Zonaras*, *Cedrenus*.  
*Meminit Stephanus* *Φασανλῆς*.

HERO-



HERODES, cognomento Magnus, honoratur à patre adolescentulus annorum 15. Galilææ præfectura: neq; ignavia & luxus materia, sed ostendenda virtutis occasione ea usus, Ezechiam prædonem comprehensum cum socijs Iudeis supplicio afficit. Qua ex re cum Syris omnibus (nam & Syriam Ezechias incursionibus vexabat) tum Romano Prætori, Sex. Casari, cõmendatus mirificè, suorum incurrit invidiam: cumq; causa ducta in iudicium S A N H E D R I N (est vox ista è Græco συνέδριον corrupta: & prodidit Philo, fuisse id 72. seniorum, qui è posteritate D A V I D I S legerentur, consilium) Hyrcani monitu, qui damnationem ipsius metueret, maturè se subduxisset, & bellum è Cœlesyria, quam acceperat à Sex. Casare, moliretur, placatur à patre & Phaselo. A Casaris cæde, percussorem eius Cassium celeri imperata pecuniæ collectione adeo sibi deuincit, ut etiam regno destinaretur, & in Malicho, interfectore patris tollendo, opera prompta adiunaretur. Inde reprimit A N T I G O N U M Aristobuli, & ab Antonio cum Phaselo Judææ T E T R A R C H A nominatur. Qui tanta prosperitatis successus cum iterum ad bellum exciuisset Antigonom, Phaselum hostis perfidia amittit, & vix ipse

ipse cum mulierum turba elapsus, & Arabia  
 exclusus, per Aegyptum Romam contendit: reg-  
 num annitente Antonio à Senatu impetrat, &  
 restitui à Silone & Ventidio iubetur. Hos gerere  
 negotium id negligentius conspiciatus, dumq; il-  
 lud Antonio conquestum abest, prater clades  
 alias fratre Iosepho orbatus, cum ducem Sosium  
 tum copias ab eo novas impetrat. Unde hosti iam  
 instando acrius, & amissa recuperat feliciter, &  
 Antigonom Hierosolymæ inclusum, hac expu-  
 gnata, ad deditiorem cogit, atq; interfici Antio-  
 chia ab Antonio curat. A quo tempore regno ad  
 libidinem utitur licentius, & multatis ijs, qui  
 cum Antigono fecerant, populum tyrannicè pe-  
 cunijs spoliat. Ideo ut inuidiam declinaret,  
 reuocat Babylone Hyrcanum: Aristobulum  
 affinem Pontificem salutatur, nec multo post ty-  
 rannicis obsecutus suspicionibus suis, de vita  
 tollit, & restitutam ANANELO Sacer-  
 dotij dignitatem dehinc venalem habet. Sed  
 luit scelera hæc pœnis mox dignis: periculo  
 videlicet apud Antonium ex accusatione Ale-  
 xandrae ob cadem Aristobuli: clade ab Ara-  
 bibus tempore belli Actiaci illata, & tempe-  
 state periculi noui ab Augusto Cesare immi-  
 nente. Quare factus efferatior, Hyrcanum frau-  
 de

de circumuentum iugulat, & crudele de necanda uxore *M A R I A M M E*, si quid ipse à Cesare pateretur, mandatum renouat. Quod postmodo Soëmi futilitate enunciatum, turbarum iterum grauium atq; seuiendi initium habuit. Etenim cum dimissus à Cesare honorificè, *Mariammen* inde alieniorem experiretur, idq; palam exprobrantem *Salome* veneficij accusaret, damnatam amicorum sententia capite plectit, ac aliquanto post ob morbum ipsius, quo è *Mariammes* desiderio laborare cœperat, presidarios de arcium deditione sollicitare ausam socrum *Alexandram*, ut idem interfici imperat. Neq; dehinc nihil sibi sumit, aut moderatè quicquam agit: ausus etiam multis in rebus patrie & maiorum instituta temerare. Nam *Hierosolymis* & *Theatrum* & *Amphitheatrum*, *Cesaris* ornatum titulis & trophæis, extruxit, & in honorem eius agonem quinquennalem celebravit. Quare coniuratorum insidijs appetitus, ut in posterum tutior esset, vrbes aliquot vel nouas condit vel munit, & famem, æstum diuturnum ex agrorum sterilitate secutam

secutam, liberali munificentia subleuat. Tametsi hinc quoque, acquisitam gratiam mox effundit, consecrato Casari templo ad fontes Jordanis in ditione Zenodori, quam dono ille concessisset. Ideo ut beneficio eam alio recuperaret, sanum Hierosolymitanum à fundamentis dirutum, immensis sumptibus extruit magnificè. Nec multò post iterum domesticis turbis vexatur. Cùm enim Romanam salutatum Casarem profectus, abductos inde è Mariamme filios ad spem regni erexisset, & immutatus eis Salomes & Pherora calumnijs, apertiore studio Antipatrum complecteretur, indignatos inde, & dolorem suum professos liberius, de insidijs habere suspectos incipit. Ac quanquam à Casare placatus, eos in gratiam recepisset, tamen offensos iterum Antipatri successionem, benivolentia dehinc dubia habet, & post conciliationem nouam ab ARCHELAO Cappadoce institutam, ab ERYCLE delatos, & circumuentos Antipatri artibus, Beryti apud consilium Romanum accusat, & damnatos Sebaste strangulat. Eadem postmodo acerbitate in Antipatrum utitur, sed in insidijs veris deprehensum, & quarum adeo frater Pheroras & mulieres aliquot conscie essent. Quares cùm refricuisset dolorem de Aristobuli & Alexandri nece, quippe

quippe quos iracundia furore suo, & scelere Antipatri interfectos serò nimis cognosceret, & debilitaretur senecta, morbo graui corripitur. Hoc factus asperior atq; immutior, adolescentes 40. hortatu praeceptorum, Iudæ & Matthia, auream aquilam, in Caesaris honorem supra maximam fani portam contra gentis instituta extructam, demoliri ausos, cum ipsis praeceptoribus viuos cremat. Iamq; de salute desperans, quod putrescentibus intestinis, caro per totum corpus vermibus scateret, ne de morte sua letari Iudæi possent, usq; vel inuitis luctum exprimeret, optimates, prae-textu consiliorum communicandorum de repub. constituenda euocatos, quam primum animam efflasset, trucidari à sorore Salome, imperat. Cùmq; cruciatuum victus acerbitate, necem sibi ipsi illaturus, ab Achiabo, qui iam libratam ad hoc facinus manum retentasset, prohibitus esset, indeq; coortus clamor atq; tumultus Antipatrum ad spes nouas erexisset, capite hominis audaciam punit, & inter immanes dolores quinto die post cedit è vita. Regnavit ab euerso & capto Antigono ann. 34. vixit 70. Strabo, Philo, Iosephus, Egesippus, Plutarchus, Appianus, Dion, Eusebius, Suidas, Zonaras, Cedrenus, Tacitus, Hieronymus, Augustinus, Orosius, Praedicatur in

E HERO-

**HERODE** industria & fortitudo bellica:  
 sed taxatur iracundia immaritas, à scyria in  
 coniuges & liberos, perfidia, impietas. Ac sicuti  
 foris omnia ei ex sententia cessere, ita domi cala-  
 mitosissimus fuit, & semper in familia veluti bel-  
 lum aliquod civile habuit. Senatores consilij  
**SANHEDRIN**, quòd aliquando ad sui  
 damnationem inclinassent, proximo ante mor-  
 tem anno trucidavit ad unum omnes: & sub-  
 mota **DAVIDIS** posteritate, cui hætenus  
 ista dignitas hereditaria fuerat, alienigenas, sed  
 legis peritos, in id legit. Unde cum iam ius & po-  
 testas regni penes solum regem esset, verè tùm  
 completum fuit vaticinium Iacobi Patriarchæ,  
 non ablatum iri sceptrũ à Iuda, donec adueniret  
 Silo. Etenim natus est anno eodem è semper  
 uirgine Maria promissus generi humano libe-  
 rator & seruator **IESVS CHRISTVS**,  
 ut scripsit Epiphanius. Quo tempore editum  
 etiam ab Herode fuit immane illud crudelitatis  
 in infantes Bethleemiticos exemplum, quod nar-  
 rat Euangelista Matthæus. Nam monitus de  
 tanta re à **MAGIS**, qui eo nomine seu è  
 Persia seu ex Arabia Hierosolymam appu-  
 lissent, dum rem certius per homines aduenas  
 explorare, & cauere tumultum cogitat, hosq;  
 Bethle-

Bethleemo ( inde enim proditurum Messiam  
 conuocati mandato regis viri in sacra scriptura  
 eruditi confirmarant ) ad se redire & renun-  
 ciare omnia iussos, praeceptum id planè negle-  
 xisse, & itinere alio patriam repetiuisse co-  
 gnoscit: metu furoreque plenus, tum Bethlee-  
 mi oppidi, tum agri finitimi conquisitos infantes,  
 qui bimuli aut minores essent, mactari iu-  
 bet. De quo eodem facinore inter Augusti  
 Caesaris iocos Macrobius explicans lib. 2.

Saturnal. cap. 4.

Cum audisset,  
 inquit, inter pueros, quos in Sy-  
 ria Herodes, rex Iudæorum,  
 intra bimatam iussit interfici,  
 filium quoque eius occisum, ait,  
 Melius est, Herodis porcum  
 esse quam filium. Meminit etiam  
 Philo, & filium ideo ab eo iugulatum scribit,  
 quod diceretur iam in lege promissus CHRIS-  
 TVS natus esse. De ministris Herodis  
 posterorumque, ac religionis horum depra-  
 uata sectatoribus, retinere Mattheus &  
 Marcus Euangelista nomen HERODIANI,  
 quos exagitat Persius sat. 5. Quomodo in fano

E 2

Hiero-

*Hierosolymitano asseruatas Iudaicarum familiarum descriptiones tyrannica eius violentia abolerit, ut ne scilicet generis ipsius nouitas cuiquam despectui esset, memorat ex Africano Eusebius Ecclesiast. hist. lib. 1. cap. 11. In urbibus ab rege hoc conditis præcipua fuit CÆSAREA, antea turris Stratonis nominata, quæ cum presidibus Romanis aliquandiu sedem præbuisset, post destructam Hierosolymam Palestina caput facta est. Atq; inuenimus eius in externas gentes beneficentiam eximiam: quippe qui & in ipsa Græcia ludorum Olympicorum instaurationem annuis redditibus adiuerit: Sed genti suæ nunquam non grauis extitit. CLEOPATRÆ Gallorum satellitium ab Augusto Cæsare donum impetrauit, habuitq; hos ministros in Aristobuli affinis cede: & militem item alium legit è GERMANIS, ut autor est Iosephus. Aperuit iterum sepulcrum DAUIDIS, sed pecuniæ nihil, monilia aurea multa inuenit: ac progressus ad ipsa regum Salomonis & Dauidis conditoria, satellites duos amittit. Habet de draconis erga puellam Idumæam Herodis temporibus amore historiam memorabilem Aelianus lib. 7. de animal. cap. 17.*


Iosephus



Iosephus, administrat sub patre Idumeam. Hoc defuncto, eicitur cum Herode fratre Hierosolymis. A quo in Massada castello mulieribus presidio relictus, Antigoni hostilem oppugnationem sustinet fortiter, & mox gravius ex aquae penuria periculum imminens, caelestis numinis benignitate depellit. Hinc cum copijs in Idumeam mittitur, & Herode ituro iterum auxiliorum novorum petendorum causa ad Antonium, praesse interea exercitui cum imperio iubetur. Quod munus dū gerit incautius, & temerè ad frumentationes excurrit, ab hoste oppressus iugulatur, & caput cervicibus avulsum per ludibrium circumfertur, vixq; ingenti pecunia à Pherora redimitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

Pheroras, militat Herodi fratri contra Antigonum: instaurat Alexandrium: & usus rege sui amantissimo, precibus illius ab Augusto Cesare TETRARCHÆ dignitatem consequitur. Nec tamen vel gratiam ei dignam retulit, vel benè sibi consuluit. Nam cum tyrannicè suspicacem, ab Alexandro & Aristobulo filijs alienasset, hos iterum contra patrem instigat, & committit deniq; utrosq; cum Salome. Ac inuitatus humaniter ad regias fratris filiae nuptias, an-

cilla amorem praefert. Quorum facinorum per Archelaum veniam consecutus, cum Antipatro conspirationes novas agitatur: & ob coniugis molitiones deprehensas in tetrarchiam dimissus, morbo ibi decedit, ac scelesti in fratrem conspiratio atq; insidia, primum à morte eius deteguntur. Iosephus, Zonaras.



Filij duo ἀνώμοτοι, nati ex ancilla, in conjugalem torum ascita, accipiunt in matrimonium ab Augusto Cesare Rhoxanen & Salomen, Herodis M. filias, cum singulis addita dos esset 25000. coronatorum. Iosephus, qui & filias Pherrone ἀνώμοτους nominat lib. 17. Ant. cap. 3. & unam Antipatro Herodis M. ex Antipatro F. nepoti nuptam fuisse, ait.

Salome, nupsit adolescentula Iosepho patruo: quo artibus suis everso, Costobaro cuidam matrimonio iungitur, & discedere ab hoc ausa, ac S T L L A E I Arabis coniugio frustrata, inuita ab Herode Alexæ cuidam collocatur.

Habuit

Habuit perpetuas contentiones cum Alexandra & Mariamme, à quibus ceu ignobilis & genere impar despiceretur. Quas iniurias suas ut ulcisceretur, regem ab utraq; alienat: & Mariamme per calumniam oppressa, idem postea periculum filijs eius conflat. Etsi neq; ipsa obtrectationibus caruit: quas à Pherora profectas, auxit amore erga Syllaum. Alienata ab Antipatro, clandestinis delationum accusationibus, patri iniusum reddit. Cumq; adeo reliquis omnibus infida esset, ab Herodis benevolentia nunquam discessit. Ideo & mandatum ab eo postremum de necandis Iudeorum optimatibus accipit, & testamento illius opulentissimis urbibus tribus, Azoto, Jamnia, Phaselide, & argenti signati 50. myriadibus donatur: quibus postmodo ab Augusto Casare arce regia Ascalonis munere addito, ex annuis redditibus 60. talenta percipit. Vixit post Herodis obitum ann. 12. Quo ipso in tempore nihil ab artium solitarum molitionibus discedens, Antipa contra Archelaum regni petendi autor fit. Ac ut erga Casarem se gratam ostenderet, Liviae vrbes possessas testamento legat. Strabo, Philo, Iosephus, Eusebius, Zonaras. Fuit Herodi non dissimilis ingenio moribusq;: id quod & benevolentiam inter eos firmiorem

concordasse videtur: ὁμοίον γὰρ ὁμοίῳ Φίλον.  
 Nec aliud quicquam, quod memoriam eius con-  
 mendaret, reperimus, quam quod Iudeorum  
 proceres ab Herode morituro interfici iussos, di-  
 misit. Quanquam forte & seditionis metus eam  
 clementiam expressit: quandoquidem hæc mox  
 excepit gravissima Archelaum. Liberi eius è  
 Costobaro nominantur à Iosepho.

Antipater, exercuit  
 inimicicias cum A R-  
 C H E L A O sobrino:  
 cumq; facundia presta-  
 ret, adiungit se in oppu-  
 gnando illo A N T I-  
 P A E. Duxit in matri-  
 moniũ Cypron, Herodis  
 M. filiã, unde genita.

Cypros, nupsit Ale-  
 xa, & filiam ὁμώνυμον  
 Cypron edit. Iosephus.

Berenice, fuit in ma-  
 trimonio Aristobuli,  
 Herodis M. filij. A quo  
 matris artibus aliena-  
 ta, etiam secreta eius  
 enunciat, & calum-  
 nias matris atq; male-  
 volentiam scelere suo  
 auget. Habuit famili-  
 arissimam A N T O-  
 N I A M maiorem,  
 per eamq; A G R I P-  
 P A E filio ad amicitia  
 Drusi Cesaris, T I B E-  
 R I I filij, aditum pa-  
 rat. Iosephus.

Relicta

Relicta est ab Antipatri liberis hisce omnibus soboles. Et quam Pheroras & Salome posteritatem habuerint, iam exposuimus. Reliquum est, fratrum, Phaseli, Herodis & Iosephi progeniem explanemus. E quibus cum Herodi ut coniuges ita & liberi plures fuerint, post de ijs separatim agemus, iam proximè Phaseli & Iosephi posteros subiicientes.

Nascitur autem Phaselo filius ὀμῶνυμ & Phaselus.

Phaselus, vixit nomine & fama obscura. Ab Herode patruo Salamptionis filia nuptijs honoratus, liberos ex ea suscipit, Antipatrum, Herodem, Alexandrum, Alexandram & Cypriam.

Antipater, nihil præter nominis memoriam, quod in autorum monumenta peruenerit, de se reliquit, Iosephus.

Herodes & Alexander moriuntur adolescentes ephebi. Iosephus.

Alexandra, nupsit Timio cuidam Cyprio, nec prolem ullam gignit. Iosephus.

E S CYPROS,

**CYPRUS**, fuit conuupta cum **AGRIPPA**, I. quem priuatum & inopem tutata opibus suis fideliter, primùm Herodi Antipæ commendat, & præfectura Tiberiadis ornari curat, deinde inuat ad iter Italicum, & vadimonium Alexandro Alabarchæ pro commodata pecunia promittit. Iosephus, Zonaras.

Iosephus filium itidem Ἰωσήφον, Iosephum, habuit, de quo illud solum Iosephus retulit, quòd Varum Hierosolymam petentem, componenda ibi seditionis gratia, excitata contra Sabinum, cum gentis optimatibus exceperit. Reliquit autem e coniuge **OLYMPIADE** filiam unicam **MARIAMMEN**, quæ nupsit Herodi, regi Chalcidis.

### POSTERITAS HERODIS MAGNI.

☞ Coniuges Herodi Magno à Iosepho & Zonara decem tribuuntur.

☞ **I. DORIS**, Idumæa, filium enixa est Antipatrum.

Antipa-

Antipater, abdicatur à patre post nuptias Mariammes, & Hierosolymam tantum ad festorum trium precipuorum solennitates venire permittitur. Post tamen benevolentiam illius alienatione erga Alexandrum & Aristobulum recuperat: quibus oppositus emulus, Agrippa & Cesari educandus traditur. In quo tempore absens varijs in eosdē fratres utitur machinationibus: usq; in regni successione prepositus, haud antē quiescit, quam prorsus eos oppressisset. Ideo diris ultricibus agitatus, regni cupidine cum Pherora in patris necem conspirat, & huic negotio isto commisso, se a Cesare Romam accersi iterum curat. Cumq; interea & Pheroram mors abrupisset, & indicio patri insidijs detectis, literis huius renocatus esset, in vincula conicitur. Vbi dum spe temeraria de patris morte custodes sollicitat, neq; tantam audaciam calare illi à rege audent, iussu huius perimitur. Iosephus, Egesippus, Zonaras.

Coniuges Antipatro duæ fuerunt: prima, Filia Antigoni Asmonci, unde filius ei genitus Antipater: altera Mariamme, filia Aristobuli fratris. Nec de filio Antipatro aliud scriptorum monumenta tradidere, quam quòd Filia Pherora ei collocata fuerit.

II. MARIAMME *Asmonæa*, secunda Herodis coniunx, liberos ei procreavit, *Alexandrum*, *Aristobulum*, *Salampsiōnem* & *Cypridem*.

*Alexander*, mittitur cum *Aristobulo* fratre Romam, salutatum *Cæsarem*, & per decennium eruditur in literarum studijs apud *Asinium Pollionem*. Inde à patre in *Judaam* reducitur, & *Glaphyra* *Cappadocissæ* connubio honoratus, atq; in spem regni erectus, etiam populi studio beneuolo colitur. Id quod cum metum incussisset *Salomæ* amita, neq; ipse ab insectationibus huius atq; *Pheroræ* abstineret, calumnijs utriusq; infestis oppugnatur, & affectati regni suspicionem grauat. Ideo patre dehinc alieniore usus, etiam *Antipatrum* emulum accipit. E qua iniuria dum conceptam indignationem ostendit liberius, structarum patri insidiarum ex accusatione ipsius apud *Augustum Cæsarem* reus fit. Sed clementi principis interuentu periculo tum liberatus, offenditur iterum, quod in regni successione *Antipatro* postpositus esset. Ac tametsi nouis criminationibus ab inuidis delatum rediisset cum patre in gratiam *ARCHELAUS* socer, tamen *Antipatri* scelere periculis nouis obijci-



obicitur, & proditur tandem ab **EVRICLE** Spartano. Quare in custodiam accuratam includitur, & apud Casarem per literas, Beryti apud Romanum consilium coram à patre accusatur: damnatusq; ab utrisq; strangulatur. Josephus, Egesippus, Zonaras. A morte Herodis Judeus quidam Sidonius, Alexandrum ob corporis similitudinem se fingere ausus, ideog; cum Judeos gentiles alios, tum in primis Melios & Romanos ludificatus, punitur à Casare. Collegit audacie similis exempla Valerius lib. 9. cap. 16. & habent aliqua nostra gentis annales, in quibus maxime memorabile est, quod de **FRIDERICO II.** incidit in Rhodolphi Habspurgensis imperium.

**Aristobulus**, & studiorum & fortuna & periculorum fratris omnium consors factus, & tempore causaq; cum eo damnatus eadem, vita etiam finem eundem habet. Josephus, Egesippus, Zonaras.

**Salampsi**, fuit in matrimonio Phaseli inferioris, nati patre Phaselo, fratre Herodis M. Josephus, Zonaras.

**Cypris**

*Cypris, collocatur Antipatro, filio Salomes, Iosephus.*

*Floruit autem diutissime omnium in Herodis progenie Alexandri & Aristobuli posteritas. Quocirca hic eam prætermittimus, post de ea explicaturi diligentius.*

¶ *III. MARIAMME, Simonis Pontificis F. tertia Herodis coniux, genuit filium Herodem.*

*Herodes, substituitur loco secundo Antipatro fratri heres testamento patris primo: cum quo Antipatro conspirasse mater deprehensa, & dignitatis ipse tanta spe excidit, & avus Simon sacerdotio exiit. Iosephus, Egesippus.*

*Collocat autem Herodi huic Iosephus HERO-  
DIADEM, neptem Herodis M. ex Aristobulo F. è qua nascitur filia SALOME.  
Nam quod Cedrenus patrem huic Philippum attribuit, repudiamus.*

*SALOME, confectatur matrem adulteram ad ANTIPAM: quem natalem celebran-*

lebrantem saltatione puellari demerita, & quod  
 vellet per interpositam iurisiurandi religionem,  
 denegatum ipsi nihil iri, petere iussa, matris sce-  
 lestissima consilio caput IOANNIS BAP-  
 TISTÆ & poscit & impetrat. Post Aristobulo nubit, & liberorum ex eo aliquot mater fit.  
 Josephus. A Nicephoro ex epigrammatis cuius-  
 dam lemmate Salomes exitus horribilis descri-  
 bitur, nempe hyemis tempore in amne submer-  
 sam, ita ut corpus motu aquarum subsiluerit, ca-  
 put eminens glacie resectum sit. Cedrenus de ca-  
 dem his verbis explicavit. Herodiadis,  
 inquit, filiã que saltando impetrã-  
 rat, vt præcursori caput amputa-  
 retur, terra viuã absorpsit. Alij  
 ferunt eam, cum in glacie palus-  
 stri luderet, rupta glacie ita in  
 fundũ decidisse, vt caput abscis-  
 sum supra glaciem extaret.

¶ *IIII. MARTHACA, Samaritis,*  
*quarta Herodis coniux, edidit, qua nostra est sen-*  
*tentia, liberos: ARCHELAVM, PHI-*  
*LIPPVM & Olympiadem.*

ARCHE-

ARCHELAVS, dedit bonis literis ope-  
 rã Roma: In quo tempore ab Antipatri amicis  
 per literas patri accusatus, ideoque testamento eius  
 secundo præteritus, tertio successor regno destina-  
 tur. Sed quod dederat fortuna, abstulit rursus co-  
 gnatorũ improbitas, & morum truculentia. Ete-  
 nim Romam profectus ad impetrandam paterni  
 beneficij confirmationem à Casare, & SA-  
 LOMES amicitia artibus ab emulo AN-  
 TIPATRA fratre, cui se adiunxisset Antipa-  
 ter sobrinus, oppugnatur, & gentis legatione so-  
 lenni crudelitatis, quam exercuerat ob flagitatos  
 ad supplicium Herodis amicos quosdam, qui necis  
 40. scholasticorum autores fuisse credebantur, ac-  
 cusatur. Idcirco tantum ETHNARCHÆ  
 nomine præesse Judææ, Judææ & Samariæ iu-  
 betur, relicta tamen spe, neque regiam dignitatem  
 denegatum iri, si regno se dignum præstaret. Id  
 quod quidem certè facere adeo neglexit, ut &  
 tyrannide nona seuiret, & Pontifices bis muta-  
 ret. Addidit quoque coniugium incestum: nam  
 repudiata Mariamme coniuge, viduam Ale-  
 xandri fratris Glaphyram uxorem duxit. Qua-  
 propter à legatis Judæis & Samaritis iterum  
 apud Casarem accusatus, Viennam Galliæ rele-  
 gatur, ibique exul moritur, cum fuisset cum pote-  
 state

state annos nouē. Strabo, Philo, Eusebius, Zonaras, Cedrenus. Meminit Euangelista Matthæus cap. 2. Facultates eius fisco cessere: prouinciæ subditæ deinde per præsidēs administratæ fuere, è quibus **T. PONTIVS PILATVS** seruatorem **IESVM CHRISTVM** ad crucis supplicium condemnauit, anno **TIBERII** Cas. 18. Dion Herodem Palestinum vocat, & accusatum postremo à fratribus, ait, Narrat Iosephus de somnio ipsius, quod exiliy calamitatem ei præfagyt, historiam memorabilem Ant. lib. 17 cap. vlt.

**PHILIPPVS**, adiungitur Romæ fratri Archelao studiorum socius: itidemq; testamento patris secundo præteritus, tertio **TETRAARCHA** Gaulonitidis, Trachonitidis, Batanæ & Paneadis nominatur. Neq; dehinc ullo tempore & loco Archelao deest: apud quem eam integritatis opinionem promeretur, ut dum Romæ ille abesset, administrandum regnum acceperit, & periclitanti, præsidio venerit. Eandem iustitiæ, moderationis & clementiæ laudem è sua tulit tetrarchia. Cùmq; bellorum fugeret turbas, & tutam tranquillamq; pacem traheret, condidit Cesaram, ab ipso Philippi cognominatam,

F tam,

ram, & Bethsaida oppidulo ampliato, & publicis  
 priuatisq; edificijs exornato, nouum Iuliadis no-  
 men dedit. Fuit in magistratu ann. 37. & vita  
 defunctus Iuliade monumento, quod ipse sibi ex-  
 truxerat, infertur. Iosephus, Eusebius, Zonaras.  
 Suidas & Cedrenus Herodem Philippum vo-  
 cant. Notabile est, quod de diligentia eius in iure  
 dicendo antorum monumenta prodidere. Nam  
 etiam cum iter faceret, sellam, in qua causas au-  
 diret, secum duxit, & si quis forte ex occurſu  
 opem eius inuocaret, illa sine mora posita, reside-  
 bat, aut fontem damnaturus, aut liberaturus in-  
 noxium. Coniugium ei infelix contigit: & deser-  
 trix huius **HERODIAS**, palam deinde  
 cum Antipa fuit. Tetrarchiam Philippi **T I-  
 BERIVS** Cæs. prouincie Syriæ attribuit. Me-  
 minere Euangelistæ Matthæus cap. 14. Mar-  
 cus cap. 6. Lucas cap. 3.

**Olympias**, collocatur Iosepho, filio Iosephi,  
 fratris Herodis Magni. Iosephus.

**V. CLEOPATRA**, Hierosoly-  
 mitana, Herodis quinta coniunx, filium procre-  
 at **HERODEM** Antipam.

**HERO-**

HERODES, cognomento ANTI-  
 PAS ( creditur nomen hoc mutilatum à Gre-  
 co ἀντίπατρος, ut Cleopas à κλεόπατρος )  
 donatur secundo patris testamento dignitate re-  
 gia: eoq; iterum abolito, tantum Galilææ & Pe-  
 reæ TETRARCHA constituitur. Hoc in-  
 iuriam ratus, & in spes novas erectus à Salome &  
 Irenæo Oratore, Romæ ab Augusto Casare con-  
 tra ARCHELAVM regnum ambit: ac  
 tametsi audiretur benignè, aliud tamen nihil,  
 quàm ut à patre relicta tetrarchia sibi confir-  
 maretur, impetrat. Quæ in re merito providentiæ  
 & iustitiæ diuinæ, scelera hominum perpetuò pu-  
 nientis, mirari respectum licet. Cum enim in Ro-  
 mano itinere deflexisset ad Philippum fratrem,  
 & hospitalibus muneribus cultus esset prolixè,  
 hanc ei gratiam retulit, ut cum HERODI-  
 ADE coniugium clam pacisceretur, & in re-  
 ditu raptam, deinde secum haberet. Ideo ab  
 ARETA Arabe, ad quam filia, coniux pri-  
 or, hoc odorata institutum, reuerterat, prætextu  
 vindicandi agri Gamalitici, bello oppugnatus,  
 exercitum internecione amittit. Ac pace uerum  
 Cesaris interuentu firmata, adeò ad frugem non  
 redit, ut IOANNEM BAPTISTAM,  
 facinus idem taxantem, primùm carcere deinde

capite multavit. Jamq; maleficijs & dolis assuetus (unde in Evangelica historia vulpes nominatur) etiam CHRISTVM opprimere insidijs studet, & missum deniq; illum ad se à P I L L A T O captivum, & supplicio destinatum, cum ostenta ab eo, ceu circulatore & mago, frustra expectasset, habet contumeliosè, atq; occasione ista scelerata iterum Pilato, qui cum antea inimicicias gesserat, conciliatur. Cetera tamen virum industrium & gnauum fuisse reperimus: nec defuit ei in tetrarchia exornanda studium. Etenim ampliatis sumtu ingenti Autocratoride & Juliane urbibus, condidit T I B E R I A D E M ad lacum Genezareth, appellatam ita ab Imp. Cas. Tiberio, Augusti successore. A cuius obitu cum propinquo A G R I P P A ad regiam dignitatem euecto à C A L I G V L A, eandem ipse sibi ab Imp. despondisset, & urgere- tur ad id assiduis uxoris hortatibus, Romam cum ea iter suscipit. Nec pro spe exceptus, & dum commendare se studet, accusare Agrippam aggressus, de armorum apparatu (indicarat hunc per literas & legatum Fortunatum idem Agrippa, & conspirationem inde cum Parthis argue- rat) interrogatur: Quem habere se fassus regi- um, ad exilium ceu imperij Romani hostis depor- tari



tari Lugdunum iubetur, & Tetrarchia ipsius imperium Agrippa permittitur. Matthaeus, Marcus, Euangelista, Philo, Josephus, Zonaras. A Cedreno perperam Antipas & Agrippa cognominatur: Quod contraria sed itidem errante sententia impugnans Eusebius, ex uno ipso duos fecit, Herodem videlicet & Antipatrum. Josephus nunc Herodem nunc Antipam vocat. Ab Egesippo traditum est, fugisse in Hispanias, & animi aegritudine ibidem consumptum.

☞ VI. PALLAS, sexta Herodis coniux, filium ex eo habuit Phaselum, cuius res gestae nulla commemorantur.

☞ VII. PHAEDRA, septima Herodis coniux, filiam Rhoxanen suscepit.

☞ VIII. ELPIS, octava Herodis coniux, itidem filiam enixa est Salomen.

Amisere autem puella haec duae patrem virgines adolescentulae. Ideo ab Augusto Cesare collocantur filiis Pherora, & praeter legatam patris testamento dotem, donantur argenti signati vice-

nis quinis myriadibus, hoc est 25000. coronatorum. Iosephus, Zonaras.

☞ Nona Herodis coniux, neptis è fratre, ut & decima, soror eius patruelis, ἀνώνυμοι sunt, nec soboles ex illis vlla memoratur.

☞ Adyicio autem hic *ACHIABVM*, Herodis Magni ἀνέψιον, ut nominat Iosephus, hoc est, vel patruelem vel consobrinum vel sobrinum (nam hac omnia voce ista Græca veniunt) Qui cum adesset regi agrotanti, necem è dolorum magnitudine sibi illaturum impedit. Inde veteranis illius defecto-ribus se opponit, atq; à Varo oppugnandos ad deditio- nem pellicit. Iosephus.

POSTERITAS ALEXANDRI,  
fily Herodis Magni è Mariam-  
me Asmonæa.

Habuit Alexander in matrimonio *GLAPHYRAM*, Archelai, regis Cappadocum filiam: unde liberos suscepit, Alexandrum & *TIGRANEM*.

Alexans

Alexander, nullis rebus gestis inclaruit, & retulere nomen solum Josephus & Egesippus.

**TIGRANES**, vixit aliquandiu obses Roma. Vnde cum familiarem sibi fecisset **NERONE** Imp. Armenia regno donatur, idque ut defenderet à Parthis facilius, presidium legionariorum mille, tres cohortes sociorum, & equitum alas duas accipit. Nec tamen retinere sic etiam dignitatem eam diu potuit. Etenim depopulari Adiabenen ausus, à **VOLOGESE**, rege Parthorum, bello oppugnatur: & obsessus Tigranocertis, etsi sustineret hostilem impetum fortiter, & promptis iuaretur Romanorum auxilijs, abscedere tamen Armenia artibus Corbulonis, qui duce huic peculiari opus esse contenderet, cogitur. Josephus, Tacitus.

Alexandro filius nascitur **TIGRANES**.

**TIGRANES**: donatur & ipse regno Armenia à **NERONE**: nec aliud de eo in literas relatum est: ut credibile sit, neque ipsi dignitatem eam diuturnam fuisse.

F 4 ALE.

*ALEXANDER*, creatur à *VESPASIANO* Imp. rex *Lesidis* in *Cilicia*.  
*Uxor* eius nominatur *OTAPÉ*, *Antiochi*  
*Comageni* F. nec additur progenies.

*POSTERITAS ARISTOBULLI*,  
 alterius *Herodis Magni* è *Mariammæ* filij.

Fuit cum *Aristobulo* connupta *BERENICE*, filia *Salomes*, quæ liberos ei enixa est,  
*AGRIPPAM*, *HERODEM*, *Aristobulum*,  
*HERODIADEM* & *Mariammen*.

*AGRIPPA*, cognomento *Magnus*,  
 mittitur *Romam* puer annorum octo: & con-  
 suetudine domestica (nam in *Cæsaris* adibus edu-  
 cabatur) commendatus *DRUSO*, *Tiberij*  
 filio, etiam *ANTONIAE* maioris familia-  
 ritatem intrat, confirmante hanc matronæ illius  
 benevolentia propensionem matre *Berenice*. A  
 cuius obitu cum & vitæ lautioris cultu & pro-  
 digalitate in *Cæsaris* libertos, ad inopiam reda-  
 ctus,

Etus, gratia in super huius, Drusi demortui amicos auersantis, excidisset, in Iudæam regreditur, vexatusq; acerbissime à creditoribus, & ope omnium destitutus, etiam in se per desperationem grauius aliquid commisisset, nisi à tali instituto opportune reuocasset Cypri coniugis pietas. Ab hac enim commendatus **HERODI** Antipæ, Tiberiadi præficitur. Etsi neq; hanc ei fortunans patris insolentia diu incolumem reliquit: atq; Aristobuli fratris inuidia Flacco, Syria Præ-tore, alieniore usus, Cypri ope in Italiam redit. Ubi similiter Casarem alieniorem cognoscit, eoq; vix pecuniæ debitæ solutione placato, iterum in periculum nouum immodico erga **CALIGV-LAM** studio, quem Imperatorem, Tiberio mortuo, fieri quàm primum exoptauerat, incidit. Ideo in vinculis per tempus semestre asservatur: euentum tamen eum tandem expertus, quem in acerbitate illa ex augurio quodã miles Germanus ei prædixisset. Nam post mortem Tiberij mox solutus à Caligula, tum Philippi & Lysaniæ tetrarchijs cum regij nominis dignitate honoratur, tum catenam auream, quæ pondere ferream, qua uinctus à Tiberio fuerat, æquaret, donum accipit. Nec multo post adicitur his Herodis Antipæ ditio, quem apud Imperatorem pe-

riculum sibi intentantem, per literas prauenerat.  
 Inde Romam regressus, mitigat Caligula in gen-  
 tem suam cogitatam seuitiam, & CLAVDI-  
 VM in imperio acquirendo prompta ope adiuvat.  
 Quod beneficentia illo eximia remunerante, praeter  
 eas, quas auus Herodes Magnus tenuerat  
 prouincias, hoc est, Iudaeam & Samariam, &  
 Abela & Ciliciae parte & Comagene augetur:  
 & regnum Chalcidis, deprecante ipso, Herodi  
 fratri permittitur. Cumq; de tanta prosperitate  
 Deo patrio gratum se declaraturus, catenam au-  
 ream à Caligula donatam, in fano Hierosolymi-  
 tano suspendisset ἀνάθημα, etiam urbem ipsam  
 apparatus tanto, qui Imperatori suspectus esset,  
 munire coepit. Nec destitit deinde gentem suam be-  
 neficijs demereri. Cui dum etiam religionis quen-  
 dam addere zelum studet, ꝛ ACOBVM Aposto-  
 lum, ꝛ Joannis Euangelistae fratrem, ad supplicium  
 rapit, idem in PETRVM ausurus, nisi coele-  
 stis numinis prouidentia periculo hunc eripuis-  
 set. Quocirca poena ei iusta imminente, ludos  
 Caesareae pro salute Caesaris celebrat magnificos:  
 in quibus insanientis plebis adulatione ob vestis  
 aureae fulgore Deum se saluari passus, à Domi-  
 ni angelo percutitur, erosusq; a vermibus, ex-  
 tinguitur. Regnavit annos 7. vitae 54.  
 exple-

explevit. Philo, Josephus, Egesippus, Suidas, Zonaras, Cedrenus. Lucas in Actis Herodem vocat, & Eusebius mox à Caligula Iudææ regem salutatum, ait. Addit Dion, hominum sermonibus divulgatum fuisse, Tyrannum illum ab Agrippa ad sevitiam instigatum, tum à Claudio honores ei consulares concessos. Nec regnum mansit posteris: & contendentibus Claudij libertis, minime id puero, hoc est, Agrippæ iuniori, committendum, iterum in provinciam redigitur, ut meminit Tacitus.

**HERODES**, obtinet fratris precibus à **CLAUDIO** Cesare dignitatem Prætoriam, & regnum Chalcidis, quod tenuit ann. 8. Gessit inimicitias cum Sila, quem ab Agrippa in carcerem coniectum, à morte eius occidit. **CVSPICIO** Fado præside stola Pontificia custodiam sibi arrogare auso, gentis suæ patrociniū suscipit, ac tum ius hoc Pontificibus conseruat, tum constituendorum eorundem potestatem cum templi ac sacri ararij custodia familiæ recuperat. Josephus, Dion, Zonaras.

**Aristobulus**, dissidet infesto odio ab **AGRIPPA** fratre, eiq; ab Herode Antipa discedenti, etiam Flaccum Procos. Syria

Syria alienat. Eodem ad regnum euecto, legationem ad P E T R O N I V M, deprecatum templi profanationem & C A L I G V L A E statuam suscipit, huncq; oratione commoda ad moderationem flectit. Vixit autem atq; obyt priuatus, sed tamen regias promeritus Iotapæ, filia S A M P S I G E R A M I, regis Emeseni nuptias, è qua filiam reliquit Iotapam, surdastram.

HERODIAS, nupsit patruo Herodi, & hoc mortuo, alteri Philippo. Cuius deserere uiuentis matrimonium ausa, & fratri eius Antipæ iuncta, JOANNEM Baptistam scelus id pie culpantem, primum in carcerem condi, deinde plecti capite curat. Cumq; exinde in incesto illo impudenter perseueraret, & cladē ab Arabibus toti regno funestam attrahit, & se deniq; maritūq; euertit. Etenim A G R I P P A E fratri concessam à C A L I G V L A dignitatem regiam inuidens, insana ambitione Antipæ ad eandem petendam autor fit. Quo ista in re nimis temerè obsecundante, sed ab Imperatore, ex Agrippæ criminationibus offenso grauiter, pro diademate, exiliij poenam reportante, etsi suas retinere facultates permetteretur, tamen dum simulat, se ab afflictō discedere non posse, cui florenti adhesisset, conata

nimis



nimirum hac retechna Caesaris animum mitigare, illo responso hoc excandescere vehementius, ipsa quoque beneficio isto spoliatur, atque in exilium simul protrahitur. Matth. 14. Marc. 6. Iosephus, Egesippus, Zonaras. Sunt qui nomen Herodiadis in Magorum & veneficorum carminibus, tanquam precipue dirum adhuc nominari, perhibent. In Ecclesia doctoribus, IO ANNES Chrysostomus, Episcopus Byzantinus, in contentione contra Eudoxiam Augustam, isthuc prouectus acerbitatis, ut Herodiadem eam appellaret, artibus illius exilio mulctatur.

Mariamme, destinatur ab Herode auo coniux Antipatro, Antipatri filio: sed ducitur postmodo ab ipso Antipatro. Iosephus, Egesippus.

AGRIPPA Magnus coniugem habuit CYPRON, Phaseli iunioris filiam, e qua liberos sustulit, AGRIPPAM, Drusum, BERENICEN, Mariammen, DRVSILLAM.

AGRIPPA, orbatur patre adolescensulus annorum 17. Cui cum ab alumno Imp. Cas.

Ces. Claudio destinaretur successor, libertorum  
 malignitate spe illa frustratur: Quippe qui  
 prouinciarum prefecturis inhiantes, regni tanti  
 administrationi imparem Agrippam contende-  
 rent. Post quinquennium patrum HERODIS  
 ditionem accipit, & retinere potestatem in tem-  
 pli thesauros, & ius Pontifices creandi, permittitur,  
 Quo usus impotentius, tempore non magno Pon-  
 tifices aliquot exautorat, pro ut scilicet quis lici-  
 taretur dignitatem eam carius. Iterum ita au-  
 getur à Claudio, ut pro Chalcidis regno, Philip-  
 pi tetrarchia, hoc est, Trachonitide & Batanea,  
 tum Abela & Lysania dynastia donatus sit: qui-  
 bus NERO deinde addidit partem Galilææ, &  
 vrbes, Tiberiadem, Taricheas & Juliadem.  
 In Casarea Felicis successorem, PORTIVM  
 Festum, salutaturus, audit occasione ea PA-  
 lum Apostolum, causam dicentem: cuius cognita  
 innocentia, etiam à doctrina eius haud alienum  
 se ostendit. Nec multo post in grauem incidit  
 Hierosolymis cum Sacerdotum ordine conten-  
 tionem, extructa in templi vicinia domo quadam  
 altitudine tanta, ut conspici inde posset, quicquid  
 in templo gereretur. Hoc enim illi nefas arbitra-  
 ti, murum alium opposuere, cuius demolitionem  
 dum urget obstinatius, desisters à POPPÆA  
 Augusta

*Augusta iubetur. Ideo alienatus à Pontifice  
 Iosepho, substituit ei ANANIAM: & remo-  
 to hoc iterum ob IACOBI Apostoli cadem,  
 Iesum Damnei Pontificem creat. Ut impediret  
 gentis à Romanis defectionem, furiosè tumul-  
 tuantes adhortatione graui compescit: & cùm  
 benignè auditus, etiam Floro eos parère, quoad  
 mitteretur successor, iuberet, indignatione tanta  
 excipitur, ut etiam vrbe mox eiectus sit, atq; in  
 vite discrimen graue venerit. Quocirca & opti-  
 matibus deinde auxilia contra plebem mittit, &  
 bellum cum Cestio & VESPASIANO  
 urget. Quo tempore cum TITO ad Galbam  
 Imp. Romam iturus, & hoc caso, nec multo post  
 OTHONE oppresso, iterum à suis in Iuda-  
 am reuocatus, iuuuit in imperio obtinendo Vespas-  
 sianum, & à Tito Pratorijs honoribus honesta-  
 tur. Moritur anno regni 27. etatis 49. Lucas  
 Act. 25. Philo, Iosephus, Egesippus, Zonaras,  
 Cedrenus, Tacitus. Eusebius perperam à Claudio  
 surrogatum patri, ait, & tribuit ei ann. 26. De-  
 tulit plurimum IOSEPHO historico, &  
 meminit ipse epistolarum 72. ad se ab Agrippa  
 missarum. A Iuuenale sat. 6. incesti accusa-  
 tur cum sorore BERENICE.*

AGRIP-

*AGRIPPINVS*, seu Agrippa ultimus, nominatur à Philone: qui ad annum ultimum etatis sue decrepita regnasse annos 30. ait.

*Drusus*, moritur ante pubertatis annos. Iosephus.

*BERENICE*, despondetur Marco, Alexandri Lysimachi filio: quo ante nuptias defuncto, collocatur *HERODI* patruo, regi Chalcidis. Neq; diu huius quoq; coniugij felicitate salua usa, & apud fratrem commorata, Casarea cum eo *PAVLUM* Apostolum audit, & ob familiaritatem nimiam incesti suspicionem incurrit. Eam à se depulsura, nubit *POLEMONI*, Cilicia regulo: cum circumcisionem ei & religionem patriam persuasisset: & offensa iterum hominis temulentia, ad Agrippam redit. In quo tempore Florum pro gente sua frustra deprecata, post cum eodem Agrippa in vita discrimen venit. Ac magnificentia munerum Vespasiano patri, forma *TITO* commendata, hunc auxilijs bello Iudaico iuvat, & Romam secuta, palam cum eo in palatio habitat: Cumq; iam in coniugij erecta spes, populi indignatione ea excidisset, post imperio potitum frustra tentat. Lucas Act. 25. Iose-

25. Iosephus, Egesippus, Dion, Tacitus, Suetonius, Victor. Meminere Quintilianus lib. 4. Instit. Oratoriarum cap. 1. ubi causam pro ea se dixisse, ait, & Iuuenalis sat. 6.

Mariamme, destinatur à patre decennis coniugio Archelai, Chelciae F. eiq; collocata ab Agrippa fratre filiam Berenicen edit. Post iungitur matrimonio Demetrio, homini inter Iudeos Alexandrinos tam genere quam opibus primario, & filium ex eo Agrippinum gignit.

DRVSILLA, puella formae praecellentis, despondetur itidem à patre ANTIOCHO Epiphani, Comageno: quo postmodo religionem iudaicam & circumcisionem detrectante, nubit AZIZO, regi Emesenorum. Cumq; muliebri accensa emulationis contentione, quam haberet de forma cum sorore Berenice, per Simonem quendam sollicitaretur à CL. FELICE, contra leges patrias ei connubio iungitur, & filium ei Agrippam enititur: qui iam adultus, perijt cum uxore Vesuviani incendij clade, Iosephus. Meminit Lucas Act. 24.

HERODI Chalcidensi, Agrippae Magni  
G fratri,

fratri, coniuges duae fuere: prima Mariamme, è qua natus *ARISTOBVLVS*: altera *BERENICE*, neptis ex Agrippa, qua edidit Bernicianum & Hyrcanum.

*ARISTOBVLVS*, fuit cum patre in honore apud *CLAVDIVM* Caesarem, & à *NERONE* regno minoris Armeniae donatur. Josephus, Tacitus.

Berniciani & Hyrcani sola extant nomina absq; rebus gestis.

Cum *ARISTOBVLO* Armenio conuupta fuit *SALOME*, Herodiadis F. qua liberos procreat, Herodem, Agrippam & Aristobulum. Ex his priores duo fama nominis obscura vixere: Aristobulo regnum Chalcidis concessum arbitror, ut sit idem, qui cum Cesennio oppugnauit *ANTIOCHVM* Comagenum, teste Josepho.

¶ Propagauit etiam Josephus è regia Herodis familia, Antipam, Leuiã & Sopham, nec tamen addit maiores. De his idem plura lib. 4. de bello Jud. cap. 5.

ERRATA

ERRATA SIC COR-  
RIGANTVR.

**P**ag. 9. V. 2. l. Eusebius. Pag. 22. V. 15. l.  
ἰμωντεςιοι. Pag. 43. V. 22. l. abolitas.  
Pag. 48. V. 19. l. iniuriam. Pag. 49. V. 1. l.  
milites. Pag. 50. V. 1. l. Filiam. Pag. 53. V. 9. l.  
adincesti. Pag. 60. V. 12. l. TETRAR-  
CHA. Pag. 63. V. vlt. l. sterilitate. Pag.  
81. V. vlt. l. Casaream.

ST. MICHAELIS 1666

# ERRATA

Faint, mostly illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words like 'Haben' and 'sind' are faintly visible.





✓ Mm 2563.

54

ULB Halle

3

002 428 296



Mm



... in ...

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

F

D

50

DE



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta		Dark Gray	Black

M  
V M:  
N Æ O:  
CORIS  
S CELE-  
regnârunt,  
tim ad  
m  
ECCIO  
pat.  
I.

